CARMINA

SERAPHINI PASTORI

PHILIPP. ORAT. PR.

FANI
TYPIS JOANNIS LANAE
MDCCCXLI.

CARMINA

SERAPHINI PASTORI

PHILIPP. ORAT. PR.

FANI
Typis Joannis Lanae
1841.

ANTONIO MARIAE CADOLINIO

ANCONAE PRAESTITI VIGILANTISSIMO

VIRO

NOBILITATE GENERIS

PIETATE ELOQUENTIA OMNIGENA DOCTRINA

CLARISSIMO

IN DEVOTI ANIMI ARGUMENTUM

HAEC CARMINA

SERAPHINUS PASTORI

NERIANI ORATORII FANI PRAEPOSITUS

D. D. D.

Quae, et quanta me a teneris annis Tecum obstringant non modo benevolentiae, verum etiam amicitiae, et devotionis vincula, perfecte nosti. Veteres nunc notosque Columbos alter ab undecimo nos tunc jam ceperat annus, cum in Recinetensi Collegio Grammatices primum studiis addicti, Rhetorices dein, mox Philosophiae, tanta fuimus animi affectione conjuncti, ut usque ad septuagesimum aetatis annum inter varias rerum vicissitudines eadem semper vivax, atque illabefacta permanserit. Tua Te Virtus, Pietasque, Theologiae emenso curriculo, in Divi Pauli Congregationem transtulit, et primum in Taurinensi Regio Collegio Nobi-

les ibi Ephebos, vel ex Ephebis egressos erudiendos suscepit eo progressu, ut inde clarissimi prodierint juvenes eloquentia, ac Poesi spectatissimi. Quae mox Tua fuerit vita, quot illustres palmas, vel Sacra docendo, vel Oratorio functus munere, per totam Italiam communi plausu retuleris, satius est tacuisse quam loqui, cum undique Tuum resonet Nomen, et nemo ea celebritate sit usus in Sacri Verbi dispensatione. Post Cesenatem Infulam, ubi tantum Tui desiderium reliquisti, Tua nunc Te amplectitur Patria, Tibi hadaeret uni, tantoque gaudet Filio, sui Populi Doctore, Magistro, ac Pastore amantissimo, ac provido. Mea me exiguitas, si vitae non traduxit inerti, haud certe nimium patuit, et in Recinetensi Collegio adolescentes ibi commorantes eloquentiae, et Poesi deditos per duo lustra ita exercendos curavi, ut non nihil hauserint progressus. Quae igitur id temporis carmina elucubravi florente aetate, nunc provecta in lucem emittere, et typis mandare consilium inii, amicorum praesertim impulsu, queis tamdiu obstiteram, id unum prae oculis habens, si quid utilitatis adolescentium bono, qui semper mihi fuere carissimi, posset inde dimanare. Sed ne, quae in lucem dare statui, ea, ut parva sunt, vilescant omnino, Tanto

Viro dicanda existimavi, ut Protectionis Tuae splendore illustrata aliquid lucis, reflexo lumine, sibi adipiscantur, et negligenda prorsus nemo putet in eum usum destinata, ut ad vendentes thus, et odores, et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis, projiciantur. Benevolo igitur vultu excipe, Doctissime Praesul, hujus tenuitatem muneris, meque tibi addictissimum consueto affectu complectere, quod mihi pergratissimum erit, et perjucundum. Vale.

EROICORUM LIBER PRIMUS

CARMEN I.

De Divina sapientia.

Non est sapientia nisi a Deo.

Aethereis delapsa plagis, et lumine divo
Effulgens, hebetat mortales quae humida sensus
Alma, precor, remove obductam Sapientia nubem.
Tu vatem, tu Diva mone, audacesque volatus
Tu regito, aggredior tenui dum carmine laudes
Concelebrare tuas: Supremi Filia Regis
Ducis ab aeterno genus immortale Parente,
Qua nihil est majus, superis aut clarius oris.
Panditur ante meos oculos stellantis Olympi
Janua, et aurato reserantur cardine Postes:
Sublimes inter Proceres, nitidasque Phalanges
Alituum, niveosque choros, qua semita ducit
Candida, cristallo pura, gemmisque decora
Procedo titubanti animo: stupet inscia tantis
Obruta mens radiis. Sacra de sede Tonantis
Lux tanta effulget, vivo et candore beatas
Illustrat sedes, immenso et lumine felix
Emicat alma dies. Solium tenet ille coruscum
Sceptra regens augusta manu, nutuque potenti
Terrasque, tractusque maris, Regnumque supernum

Hos amat, hos replet divino lumine, sensus
Dirigit, et tuto felices tramite gressus.
Regibus haec summis firmi moderamina Regni
Praebet, et injusti, justique attingere fines.
Illis conciliat populos, nomenque, decusque.
Erudit haec hominum mentes, ut legibus aequis
Infandos reprimant mores, animosque rebelles
Fraenent, ac verae inspirent virtutis amorem.
Haec stultos exosa viros, quos dira Cupido
In varias agitat partes, vesanaque versat
Ambitio, vanoque elata Superbia fastu,
Insontes, humilesque suis amplectitur Ulnis,
Divitiis replens ingentibus: hinc sata terris
Gaudia, Pax dulcis, foecundaque semina veri.
Hac sine luce homines tetra caligine mortis
Torpent obducti, foedisque erroribus acti
In praeceps labuntur iter: cum surgere curant,
Tunc lapsu graviore ruunt, si desit amica
Lux, et amica manus supremae Virginis: at quod
Monstrum audax, fastuque tumens se tollit in auras
Obscaeno exortum limo, cui plurima frontem
Lurida serta tegunt, falso et splendore coruscat,
Deformi ostentans insana volumina dextra,
Aeternumque genus, divûm et sibi poscit honorem,
Innumeros volvit fastos, molimina multa?
Hoc Pater Omnipotens solio despexit ab alto,
Agnovitque hominum prolem: Sapientia Mundi
Dicitur, humanas ventoso flamine mentes
Inflat, mortalesque via docet ire negata.
Sive affigit humi, et sceleratos edocet ausus,

Praecipitesque rapit. Saepe haec certamine iniquo
Virginis aethereae metuenda lacesserat arma
Vulneribus non laeta suis: ast impete coeco
Fertur acerba furens insano victa dolore.
Haud patitur Numen vesanum accedere monstrum,
Sed valido telo divini luminis illud
Perculit ingenti trepidans formidine. Cuncti
Stultitiam noscunt, malesani et pectoris ausus
Excipiunt risu. Coelestes deserit arces
Mentis inops, terrae et patrias se reddit ad oras
Mortalesque agitat mentes, et pectora turbat
Stultitia. Intonuit sublimi voce supremus
Arbiter: e nostro Sapientia vertice manat
Omnis, at integrae virtutis sedula cultrix.
Tramite quae recto decedit nescia veri
Audax est invisa oculis Dementia nostris.

CARMEN 2.

De Fidei Triumpho

Excelsum celebrare decus, claramque triumphum,
Quem tulit Alma Fides invicto pectore Averni
Oppugnans fraudes, victrix per tela, per ignes
Musa aude; favet incoepto Rex altus Olympi.
Vix Crucis ad nomen, divique ad Nomen Jesu
Flectebat pia terra caput, flectebat et Aether,
Cum subito serpens humani nominis hostis
Imperium aspiciens fractum, fractasque catenas,
Queis genus humanum tanto perstrinxerat aevo,
Horrendum infremuit, simul ac ita turbidus infit:
Proh scelus, atra Fides venit, quae frangere regnum
Heu invisa meum debet: miser! ecce nefandis
Queis furiis incensus agor; quas fraudibus olim
Promerui exuvias, merui quae pulchra trophaea
Innumerasque aras superato victor ab axe,
Perdere nunc cogor spoliis ingentibus orbus.
Jam vires cecidere meae, tantaeque ruinae
Non mea corda movent? hanc vulsam donec ab ima
Non cernam radice Fidem, sequar ignibus atris:
Nae mortale genus quae sint mea Numina discet. —
Sic ait, et dicto citius fremit ore cruento,
Conciliumque immane vocat dira agmina fratrum,

Quos Coelo extorres flammanti fulgure Numen
Ignibus addictos coecum detrusit ad Orcum.
Ore vomit nigro virus: stant lumina flamma,
Sulphureosque imis jaculatur faucibus ignes.
Nulla meis esto dictis mora: Lucifer hac stat:
Nunc grave servitium, nunc frangite vincula fratres:
Maturate dolos, nunc spe praesumite pugnam.
Perdere si infando cogent nos impia bello
Fata, manu forti sed non pereamus inulti:
Audaces fortuna juvat: hoc vincite fratres,
Hoc prohibete nefas: tempestas excita Christum
Obruat, atque Fidem: nunc nostra potentia surgat,
Nunc opusest animis, Fratres, nunc pectore firmo.
Sic ait, et tristes latebroso e gurgite pestes
Anteit: horribili complent loca cuncta fragore.
Non sic emissi furibundo carcere venti
Agmine terribili perflant terrasque, Polumque`,
Immensamque cient pontoque, satisque ruinam;
Ut nunc insanas scelerata ad coepta ruentes
Aspicias Orci turmas: pallentibus aer
Occulitur tenebris; natura horrore fatiscit.
Ut cum praecipiti rea tellus obruta ab unda
Nil nisi pontus erat, nequidquam turbidus Arcam
Mergere tentabat fluctus, dumque acrior urget,
Illa nihil metuens fertur super ardua victrix;
Haud secus alma Fides: hanc perdere tentat opaci
Orci Regnator: sed frustra, est vana potestas,
Vires sunt vanae: tamen id nil fraenat, at illum
En magis extimulat, subitoque infandus acerbum
Invadit Saulum, diro cui corda furore

Inclarum Christi nomen, populosque fideles,
Exardentque oculi suffecti sanguine, et igne.
Hebraeos tunc alloquitur, frendetque, ruitque:
Quae mora vos retinet? famulos extinguite Christi:
Hos poenis sociate feris. Non cernitis Alma
Ut languet modo nostra Fides? tantasque ruinas
Ergone tranquillo spectatis lumine? non vos,
Non furor aequus agit? fato ne cedite iniquo:
Arma omnis rapiat, pereat sub cuspide Christus:
Haecmea dextraquidem sacrumbibet usque cruorem,
Nequidquam nobis, Christusque, Fidesque resistet.
Sic ait, atque pedes infert ad celsa Damasci
Moenia, qua Christus majori luce coruscat.
Jam spe praesumit pugnam: volat ecce; sed illum
Perculit aethereus fulgor, sternitque furentem.
Ille simul, Christi fuerat qui saevior hostis,
Nunc major defensor adest; sed Daemonis ira
En magis atque magis gliscit, dirumque Neronis
Invadit pectus, venerandi ac nomen Jesu
Stat poenis tumulare atris: rea jussa ruinam
In Christi famulos funesque, necesque minantur.
Impia turba ruit, cruciatque, angitque, necatque:
Membra secant: amnes immisso sanguine turgent,
Omne genus feritatis agit violentia Averni
Regis: at incassum: laetum cum conjuge sponsum,
Cum senibusque senes, pueros, tenerasque puellas
Disjicit ensis atrox: vivo de corpore pellis
Abstrahitur: cuncti baccantur in orbe dolores.
Quid tamen? infernae nil sunt contra aethera portæ,
Quo magis infrendent Reges, frendentque virorum

Scripta inferna, nihil damni subit inclyta Christi
Crux, nomenque potens: auctoque ex turbine crescit
Aethereus fulgor, fuscis mors horrida terris
Incubat, atque horrens alis strepitantibus errat.
Quid tamen? ipsa potens diro non frangitur ense;
Rex furit: intrepidi pectus sed martyris illum
Negligit; ipse almis tentat devincere donis
Invictum: martyr, mihi sunt mihi dona dolores
Mors ac dura, inquit: Virtus ita celsa triumphat.
Quid plura? ad mortem si ducitur unus, ad illam
Magna repente volat festanti pectore turba;
Ac velut immissum foecundis semen in agris
Horrea prole sua replet, ditatque colonos;
Pullulat haud aliter sanguis, de sanguine crescunt
Palmae: ac diva Fides sparso de sanguine crescit.
Centeno capite exurgit violentior Hydra
Haeresis, et turpi cum sceptris foedere juncta
In Christi sponsam mage turbida suscitat arma,
Aspergitque nigro candentia pectora tabo,
Ut jubar aeternum tenebris involvat opacis,
Qua sol exoriens Eoas prospicit undas,
Qua sol hesperiis mergit se fluctibus, irae
Daemonis ignescunt; voti sed compos iniqui
Haud unquam fiet: solis plaga quaeque nitentem
Aspicit usque fidem stygiis ex fraudibus auctam.
Nequidquam Rex Tartareus frendensque, ruensque
Injicit in Christum fluctus, pelagusque malorum.
Parva Petri navis violentas negligit undas:
Hanc regit invictam divi sapientia Patris, (strat.
Hanc fovet altus amor, viresque, animumque mini-

Atque insurgentes hostili mole procellas
Flamine compescit supero, ne gurgite diro
Sacra Petri navis stygias illisa per undas
Concidat: exurgit victrix, ventosque furentes
Despicit insultans nimbis, et in ardua fertur.
Stat Deus in puppi: contra vim Numinis ecquis
Pugnare audebit palmam rapturus opimam?
In Christum pugnat nequidquam inferna potestas.
Siste minas, modo siste neces, Regnator Averni.
Saecula longa docent: pugna congressus iniqua
Usque cades impar: surgis quo saevior, olli
Usque ornas viridi fulgentia tempora lauro.
Nil fraudes, nil tela juvant, armata tyranni
Dextera nil: toties victus fuge tristis in Orcum.
Improbe vesanos tua verte in viscera morsus,
Et frustra infanda rabie rea corda fatiga.
In freta dum fluvii current, dum littus arenas,
Dumque feret Coelum stellas, splendore micabit
Aeterno haud vincenda Fides: Deus altus Olympi
Indice securo inscripsit super aurea fatum
Vela- Petri Cimbam numquam vis opprimet Orci.-

CARMEN 3.

De Patientiae Triumpho in Christi funere

Quod facinus, quod triste nefas, quod funus acerbum
Conficit exanimes oculos, mentemque, sinumque
Discerpit? rabies quae insano dira tumultu
Infremit, horrendumque timenti personat auri?
Ite procul durum curae genus: ite cruenta
Vulnera, nil nisi grande peto, clarosque triumphos,
Morte vel e tristi felix mihi surgat imago.
Absitis Musae mendaces: inclyta gesta
Haud opis est vestrae cantu celebrare valenti.
Incaeptis tu Christe meis, tu providus adsis,
Labentemque animum, species teterrima mortis
Quem ferit, et stupor incessit, dum pectore firmo
Quaslibet humana pro libertate rependis
Aeterno poenas Patri, tu numine fulci:
Quamque tulit scelere e diro Patientia palmam
Innumeris invicta malis, ostende canenti.
Vix scelerata cohors infami robore tergus
Ingravat aeterni nati, properatque scelestis
Vocibus insultans horrendi ad culmina montis;
Cum Genitor summus spectacula dira, necemque

Instantem cernens, solio vocat illico ab aureo
Virtutem, cui dura pati, cui dulce subire
Tristia quaeque, animo quae non labefacta potenti
Erigiturque vigetque adversis nescia vinci
Casibus, atque olli divo sic pectore fatur.
Vade age praeproperis ad terram labere pennis,
Atque subi ingentem contra arma hostilia pugnam:
Stat tibi partus honos: stant pro certamine campus
Nati membra mei, quae jam lacerata fatiscunt,
Cui caput immani sentes pressere corona
Vulnifici, innumero stridet cui in vulnere vulnus,
Alis cui extremum fatum properantibus instat.
Nec mora: Supremi nutum venerata Tonantis
Praevalido cingit virtus adamante virile
Pectus, et induitur laeva, qua conterat ictus,
Aegida sideream nil tela inimica paventem.
Aegida, quam supra fulgent insignia gesta
Auro caelata in nitido, partique triumphi.
Quos inter summo in clypeo foedo ulcere turpem
Cernere erat Jobum: stat Daemon robore obusto
Armatus, spiransque atros e faucibus ignes
Ingeminansque ictus: illinc delapsa ruina
Prolem improvisam subita frangit lapidum vi.
Non procul insculpti rapientes cuncta Latrones
Armenta: hinc petulans Uxor, graviorque jacenti,
Turbaque Amicorum stulto hunc sermone fatigat.
Parte alia ad ripas Tigris jacet inclitus Heros
Arbore sub celsa demulcens lumina somno,
Lumina, quae exurit demisso stercore hirundo.
Corde senes firmo stabant, et Numine pleni,

Quos invicta diu laetos Tolerantia reddit.
His armis munita ruit, celerique volatu
Baccantem Solymae descendit fortis ad Urbem.
Hic vero aethereum Natum, quem plurima circum
Turba furit scelerata, ac inferno ululatu
Astra ferit, reboant valles, collesque resultant,
Repperit expectantem ultro clavosque, crucemque
Immanem: tegit hunc, laterique cita astitit almo.
Quis rabiem horrendam, quis barbara funera fando
Explicet, aut lacrymis, et tristi carmine possit
Ingens supplicium, dirumque aequare dolorem?
Ut Leo terrificus stimulatus fauce maligna
Excutiens cervice toros, dentesque minaces
Exacuens coeco mitem ruit impete in Agnum,
Discerpitque feris trepidantes unguibus artus;
Sic ubi conscendit tetri fastigia montis
Insontem tortor rabie compulsus iniqua
Aggreditur Regem: denudat tegmine corpus,
Corpus sanguineis dimanans undique rivis.
Saeva recrudescunt in sacris vulnera membris
Vestibus avulsis: dolor atra cuspide plagas
Irritat rursus, felle et respergit amaro.
Heu scelus! heu lacrymas! incumbunt impete vasto
Carnifices torvi: resupinum robora sternunt
Dura super: longis contractos funibus artus
Distendunt: clavos distringit laeva cruentos
Malleus horribili dextra sustollitur: eheu
Fit via vi: rumpunt nervos, venasque recidunt
Ingentes clavi, necis instrumenta nefandae.
Clavi crudeles immani vulnere hiulcant,

Atque pedes terebrant repetitis ictibus, almas
Confodiuntque manus, ferali atque arbore figunt.
Respice dira Syon, pendentem respice Regem
Fatali in solio, pallentem morte futura
Semianimem: tantum ne scelus mens impia poscit?
Circum errat Pietas, nubens velamine opaco
Languentes oculos, tantum aversata furorem:
Ingemit aegra Fides: Themis infremit: occulit albus
Ora Pudor, dominique suis circumdedit alis
Nudatos artus nequidquam: questubus aer
Insonat; et Superum vultu lacrimante Catervae
Circumstant: Natura acri convulsa dolore
Discinditque comas, oculosque in flumina solvit.
At viget, ingenti pollet quae robore virtus
Exultatque magis: vires efundat iniquas
Clamat, turba ferox, et acerbi pectoris aestus
Concitet infrendens: numquam ut devicta fatiger
Efficiet: renovare omnes crudeliter ictus
Si libeat, nostrum haud poterit convellere pectus.
Infremat eversus resonanti murmure pontus,
Sol tenebris, foedo temeretur sanguine Luna,
Scindantur montes, moveor nil, nilque pavesco.
Dixit, et intrepido vultu, firmoque animo stat
Hostili clypeum objicens iraeque, minisque.
Qualis ubi quercus summis in montibus ingens
Quam circum eolio praerupti e carcere venti
Baccantur frustraque solo prosternere certant,
Illa immota manet, vanos temnitque furores.
Oh quam te memorem praestanti pectore Virgo
Illabefacta malis! certamina sed nova tentat

Turba fera, haud saturata, neque haec infracta quie-
Labra veneuato sitientia spargit aceto (scit.
Et maledicta vomit, sannisque procacibus urget.
Lymphati insultant arae, templique ministri,
Et capite inflexo irrident, atque impia verba
Conjiciunt: i nunc, sceptro, regnoque potire,
Si Rex, si Numen clavos perfringe, tuere
Vitam, de duro ligno descende, fidemque
Nostram habeas, laxantque in risus ora protervos.
Tu quoque tristis amor, crudeli heu foedere certas
Dilacerare animam rigidisque immergere poenis;
Heu dolor, heu species fato crudelior omni
Acri parce tuam dextram respergere coede.
Adstat Virgo Parens, oculisque immobilis haeret
In cruce defixis: tacito haurit lumine plagas,
Quas bifidus cunctas in pectore duplicat ensis.
Hinc illum exacuit praeclara scientia mentis,
Hinc amor immensus non exaequabilis ulli
Atque animam teneram scindit: dolor inde Parentis.
In natum resilit furibundo vortice, maestam
Mox redit in Matrem geminata mole simulque
Alter in alterius jactantes mutua pectus
Vulnera, se perimunt immani cuspidis ictu,
Haud secus herculei sinus aequoris aestuat, horrens
Cum se in certamen magna stridente procella
Oceanusque vocant, et terris interjectus
Pontus: confligunt fluctus, undam unda lacessit;
Accipiunt, revomuntque altos cum murmure montes
Horrisoni horrisonis fervescunt aestubus aestus.
Quis te poenarum demersum at gurgite tanto

Christe regit? Non te coelesti Numine firmat
Aeternus Genitor: dirae te destinat arae:
Et negat auxilium: durum Patientia bellum
Sustinet insuperata: necis sed dira propinquat
Hora, et caligant instanti lumina fato,
Sublimemque animam rupta compage resolvit.
Tum vero victrix, palmaque insignis ovanti
Aethereum ad solium laetantes explicat alas
Et summa Virtus affatur voce Parentem.
En nostra perfecta manu victoria: cunctas
Insuperata minas, convicia barbara, plagas
Ingentes, dumos, clavos, saevosque dolores
Ipsam pertnlimus constanti pectore mortem.
Absumptae in natum vires, orcique, virumque.
Has palmas haud sperne Pater, generique nocenti
Exposcit Natus tormenta haec effera prosint.
Annuit Omnipotens, victrici et plausit Olympus.

CARMEN 4.

De morte Abelis

Triste nefas, fratrisque iras, lethumque cruentum
Quod primum Natura Parens sub limina vitae
Aversata animo, lacrymisque aspexit obortis,
Dic mihi, Melpomene, promptas et suffice vires.
Supremo extructis Domino cum solveret aris
Fidus Abel jussos devoto pectore honores
Immissam vidit supra libamina flammam,
Nocte velut placida dilabens stella per umbras
Aethera diffiudit vacuum, quae altaria circum
Leniter amplectens coelesti exusserat igne
Votivas pecudes: oculis haec hausit iniquis
Monstra Cain, manibus qui vilia munera avaris
Cum Domino offerret nec puro corde, crematas
Ipse datas fruges non viderat: anxia torquet
Lumina, continuo cura fit saucius acri.
Cessit amor fratris, nec dulci membra quiete
Demulcet, refugitque cibos, perque omnia versat
Incertos animos. Praesens cum protinus illi
Fit monstrum stygii tunc primum Acherontis ab
Emissum, cui dira lues, et pallida miris (undis

Ora modis, lethale vomit de gutture virus,
Liventesque oculos vibrat, tum dente maligno
Carpere cuncta solet; felicibus improba Pestis
Inceptis obstat, simul aegrescitque videndo
Inque suos artus dentes immittit acutos.
Quem vero arripuit, tenet, impellitque furore
Immani, meritis inimica, atque inficit atro
Felle sinum. Coelum fuscis obduxerat alis
Tunc nox, et Cain scelerata perdere fraude
Cogitat, ut fratrem praesenti funere mergat
Invidia extimulat, verbisque ita fatur acerbis.
Stulte, quid ingenti juvat indulsisse dolori
Nocte, dieque oculis lacrymas diffundere inanes
Quid prodest ? decorat felicem gloria Fratrem:
Illi partus honos: Coelo delapsa quieto
Flamma sacras aras cingit: tibi gloria nulla
Nullus honos! invisa Deus libamina spernit,
Solus Abel donis gaudet, fruiturque superbus.
Dedecus hoc perferre potes, lacrymisque profusis
Te frustra heu vexas, nec dextra animusque mo-
Majus opus, cessas heu segni pectore cessas? (vebit
Immo age, si fratrem nunc exaequare potestas
Non datur, extinxisse potes, ne laude tumescat
Improbus: i, propera, fortique ulciscere dextra
Quod tibi praeripitur decus almum: nec mora: telo
Corda venenato figit: furit ille cruentas
Intorquens luces. fratremque ad funera poscit.
Atque illi passim erranti, et sine fine furenti
Angelus e superis delapsus sedibus adstat,
Ingentesque animi motus compescere suadet:

Nequidquam; dirum monstrum Cain obstruit aures.
Hinc immane odium verbis advelat amicis -
Egrediamur ait, superoque litemus honores,
Tecum una excipiet, dabitur quae victima nostra
Caesa manu. - Festinus Abel se protinus infert
Huic comitem laetum, secreto et calle remotos
Deveniunt in agros: ruptis ceu nubibus ictu
Terribili fulmen ruit, et late omnia vastat;
Sic improvisus subitas exarsit in iras
Ex oculis flammas jacit, et tumet ore minaci
Fuste Cain duro armatus, tum brachia tollens
Insontis Fratris crudeli verbere caedit
Et caput, et corpus, sanguis fluit undique rivis;
Semianimis procumbit humi, suplexque furentem
Ad fratrem cum voce manus extollit Abelus.
Fratris ut exanimis fluidum videt ille cruorem,
Et trepidos artus, et humi titubantia membra
Ignotae nova forma necis turbavit acerbum (ctum:
Effraenemque animum, mediumque represserat i-
Cum subito exardens verbis, stimulisque fatigat
Cunctantem invidiae non exsaturabile monstrum:
Hinc animum caecum pietas non mitigat ulla.
Numinis hinc haud ille minas, curasque Parentum
Respicit, insanus fraterna in caede moratur,
Verberaque ingeminat ferus, insultatque jacenti.
Haec tibi pro meritis, pro insigni laude rependo
Praemia: vade, novas aras, quas coelicus ignis
Ambiat, atque dapes absumat rursus opimas,
Vade, strue infelix, vel te Deus excitet; atrox
Haec vix ediderat, saevo cum tempora ligno

Percutit immanis, calidoque immista cerebro
Ossa terit, manatque cruor diffusus in ora
Ingens: ast illi lethali frigore membra
Solvuntur, tristisque illisos spiritus artus
Deserit: immenso tum vero infracta dolore
Ingemuit Natura Parens: velamine vultum
Obduxit nigro, moestasque ad sidera voces
Extulit: heu hominum, Divumque aeterna Potestas
Justitiae vindex, oculis haec aspicis aequis?
Supplicioque gravi fratrem punire scelestum
Cessas, qui saevas fraterno sanguine primus
Est ausus scelerare manus, et janua letho
Hinc reserata fuit? nimium heu humana propago
Infelix sub nascentis primordia mundi
Inveniens aevum, si dira exempla relinquit
Perniciem latura gravem; quae verba superni
Numinis ad solium auratum pernicibus alis
Ut primum venere, simul reclamat Abelis
Effusus sanguis, queriturque immane Caini
Flagitium, poenasque petit: Coeli Arbiter Almus
Indixit grave supplicium, mox abdita pandens
Saecula, venturum tempus volventibus annis
Ostendit, proles sua cum demissa coruscis
Sedibus, humanis spoliis induta, feroci
Invidia fratrum crudeli caede periret,
Indignum quod funus Abel referebat imago.
Concussae Aligerum mentes, moeroreque pressae;
Diriguit Natura dies exosa nefandos
Et caput occuluit: risit tum fronte benigna
Omnipotens, pietatis amans, placidusque quievit.

CARMEN 5.

Pius Septimus Pontifex Max. Creatus Venetiis

Insignem pietate Virum, meritisque nitentem
Conspicuis, triplici decoratum tempora serto
Unanimi Patrum voto, quos Regibus aequat
Purpura sacra, canam, frustra obluctantibus Orci
Horrendis furiis. Tu audacibus annue ceptis,
Propitiamque mihi, Pastorum Maxime, dextram
Porrigito, timidumque tuo rege Numine Vatem.
Quos subito excierit fluctus, nimbosque minaces,
Et quot disjectos insanis merserit undis,
Quosque imprudentes immani turbine Erynnis
Gallica perdiderit fraude, et truculentior armis,
Conscia mens meminisse horret, luctuque refugit.
Impete vesano Reges aggressa potentes
Effera dejecit solio, vinclisque revinctos,
Aut premit exilio, sceleratae aut destinat Arae.
Et fluvios, tractusque maris, camposque patentes
Heu dolor! innocuo spumantes sanguine cerno.
Luctus ubique, pavor; gelida formidine gentes
Perculsae trepidant, tantamque avertere Pestem

Haud valuere: ruit furibunda, tonatque flagello
Sanguineo eructans flammas, Stygiamque venenum.
Iam petit Italiam trepidantem, et pectns inerme
Praebentem insano monstro, vitamque praecantem.
Nec mora, nec requies: furialibns excita curis
Frustra obtendentem palmas invadit acerbo
Vulnere, divitiasque omnes vorat ore cruento.
Coelestis Solymae lapides heu disjicit ictu
Immani, nataeqne Syon tacuere dolentes,
Et tristi passos foedantes pulvere crines,
Tundentesque sinum. Lethea incendia miscet
Ignitos torquens oculos, manibusque scelestis
Arripit augustum , longaque aetate cadentem
Pontificem, et funesta diu in discrimina tractnm
Ad Rhodani littns perductum barbara sternit,
Impatiensque morae furiali devovet irae.
Purpureum sed enim jam consedisse Senatnm
Adriacis undis dominantem sentit ad urbem.
Inferna exarsit rabie , et desistere victa
Noluit incepto: veloci haec littora cursu
Saeva petit, lectosque Patres ita turbida versat,
Ne coeant animis, Petri ad moderamina navis
Neve ducem statuant, diris confisa procellis
Urgere in coecos scopnlos, et mergere ponto.
Cum Pater Omnipotens, hominum Sator, atque Deo-
Despiciens mare ventosnm, terrasque jacentes (rum
Constitit, atque oculos Venetis defixit in oris.
Consedisse Patres videt, et consulta ferentes
Versantesque gravem votis fatalibus urnam
Assensu vario: nam quae sententia mentem

Inclinaret adhuc non omnibus una sedebat.
Aspicit hic etiam tristes innectere fraudes
Anguiferam furiam saturatam haud caede nefanda,
Conantemque venenatas immittere flammas.
Nec mora: Sacrorum Procerum miseratus iniquam
Sortem, qua sedat, fluctus et nubila pellit
Constituit dextra fidae succurrere Genti:
Huc, illuc oculos volvens, perque agmina laeta
Aligerum, divosque choros, aedesque beatas
Aspexit fulgore novo renitescere in alta
Sede Pium, redimunt frontem cui gemmea serta,
Inclita cui peperit coelestes palma triumphos,
Martyriique decus. Jubet hunc accedere. Turba
Coelituum tremefacta tacet, silet arduus aether,
Verba loquente Deo. Vade, o fidissime, nostros
Vi stygia dubiis Patribus depromito sensus
Quosqne agitat fallax studia in contraria Erymnis,
Unanimes tu redde Viros, monstroque fugato
Conspirent animi, cum Coelo sentiat Orbis.
Ad Petri ascendat Solium clermontius Heros:
Ille meis vicibus fungatur: Summa Potestas
Huic erit in terris, claves huic traditae Olympi.
Invictum pernosco animum, cui lactea pressit
Ubera Religio, primaevo in flore Juventae
Accepit gremio Pietas, mox arbitra morum
Instituit virtus. Romano hic fulgidus Ostro
Pervigili cura sibi credita littora Pastor
Tutatus, quae Santernus praeterfluit amnis,
Pro grege multa tulit. Manet alta mente repostum
Praeclarum facinus, cum firmo pectore Gallo

Duotori diras caedes flammasque minanti
Occurrens humili prius illum voce precatus
Et gemitu, et moestis lacrymis, ubi cedere nulla
Hunc prece conspexit, spoliisque inhiare furentem,
Ipse sui oblitus, sublimi et percitus aestu
Stratus humi corpus, me me inquit perdito ferro,
Cornipedumque prius pedibus me contere equorum;
Hac tibi pande viam: miseram si sternere gentem
Est animus, tantum nec fas choibere furorem,
I: prius at diro Pastorem mergito fato.
Dixerat et turbae tanta virtute stupentes
Et dux ipse, domant iras, urbique ruinam
Instantem prohibent. Mira haec constantia, Virtus
Tam fortis proh! jure decus meruere supremum.
Coelituum plausere chori, Jussa ille facessit
Numinis aeterni, Venetamque adlabitur Urbem
Coelesti jaculo armatus fatale repellit
Monstrum, Principibusque sacris ipse intima sensim
Corda subit, penetratque animos, et pectora versat.
Proh mirum conversi animi, mens omnibus una.
Gregorium inclamant subitis assensibus, omnes
Gregorium ingeminant, festiva et voce salutant.
Atque reluctanti nequidquam, et multa volenti
Objicere, unanimes excelsa in sede locato,
Osculaque infigunt plantis, et nomen adorant.
Lux Alma exoritur *claris e Montibus*: atrae
Diffugiunt nubes, tempestatesque minaces
Haud nostrum obducent tanto sub Principe coelum.
Candida Pax viridi frontem circumdata oliva
Incolet has terras, belli non ingruet horror,

Nec consanguineae caedes, nec funera, luctus
In maestos referent immitia. Dulcia *Pacis*
Gaudia felicis recreabunt pectora tristi
Pressa metu; et *Mauri* caesis cervicibus ense
Invictae Fidei, fulgebunt *signa Salutis*.
Ingredere o Magnos, Pastor fortissime, Honores
Terrarum communis amor, tibi subdita Tellus
Prona, datumque Poli reserare, et claudere portas.
Nulla tuis regio titulis caret: omnibus idem
Diceris, occiduus tibi Sol, tibi plaudit Eous.
Caedant Romano scelerum contagia Regno,
Diffugiant stygiae pestes, damnataque luctu
Agmina perpetuo, sontemque reposcere noctem
Indecores animae cogantur. Jam nova surgunt
Saecula, grande caput faustissima porrigit aetas.
Tu Petri immiti concussam turbine navem
Tu rege, tu fessae tutos inquirito portus.
Dumque tuas canimus laudes, semperque canemus,
Ah divam protende manum, Vatemque fidelem
Prosequere auspiciis faustis, et mente benigna
Excipe devoto tibi quae persolvimus ore
Carmina, multa tuis ac figimus oscula plantis.

CARMEN 6.

Noemi gloria in universali vitiorum illuvie invicti

Pestiferas scelerum facies, horrendaque monstra
Orbis in exitium stygiis effusa tenebris,
Emissamqne luem, quae foedo pectora tabo
Infecit dire illabens, mersitque sub atro
Vortice, avernales inspirans ossibus ignes,
Musa canas, clarumque viri fer ad aethera nomen,
Robore qui grandi malesanos criminis ausus
Reppnlit invictus, mortales dum improba pestis
Omnes pervasit, virtns ut pulchrior extet,
Et tanti praestans celebretur gloria facti.
Viderat ignivomas fauces qui temperat Orci
Fatalis serpens aeterni Numinis hostis
Progeniem Sethi foetenti a sorde remotam
Virtutis per iter divo renitescere honore;
Cnm rabida invidia, stimulisque impulsns acerbis
Haec secum infrendens: Nil ergo fraude parentem
Decepisse juvat, fatali ex arbore pomum
Manderet ut vetitum, tristi mersisseque luctu?
Nil fratris dextra crudeli funere Abelem
Extinxisse? viget renovato a sanguine Proles

Aversata scelus, recti et vestigia servans ?
At, credo, fessus jaceo: nil linquere in ausum
Est animus , renovare artes , nova nectere vincla,
In vetitum scelus omne vias aperire recentes.
Dixit, et infernas tumido ciet ore catervas
Eructant oculi flammas, nox humida, et ignis
Gutture prorumpit vasto, sic turbidus infit;
Magnanimi Socii, quos olim nobile bellum
In Coeli juvit saevum movisse tyrannum,
Fulmine si fractos huc vis nos dira coegit,
Non tamen ex animo praeclara audacia cessit ,
Nostra et jactantur dextra non irrita tela.
Primum opus aethereis addictum sedibus, unde
Corruimus, facili nec opinum stravimus ictu.
Letho facta via est, confectum vulnere languet
Jam mortale genus, claros sperate triumphos.
Ite alacres, agitate dolos, innectite fraudes;
Nunc sit quisque memor priscae virtutis, opisque,
Puraque letheo corrumpite corda veneno.
Nec mora: tartareae pestes, velut agmine facto
Erumpunt: fuscis tenebris, et nocte maligna,
Horrentique tremens pallet caligine Coelum.
Ibat vesano ventosa superbia fastu.
Vertice procero affectans insignia serta,
Ingentesque inflans animos: audacia gressus
Pone legit, ferrumque, nefandaque tela ministrat.
Ibat et invidiae sat formidabile monstrum
Tristi consumptum macie: quod lumine torvo
Intorquet rabidos oculos, saevitque tuendo
Felices coeptus, dentesque exasperat uncos ,

Inque sua obliquos convertit viscera morsus.
Fraus properat vigili obtutu, cui roscida mella
Ore fluunt, stigio fervet sed pectore virus,
Sanguineumque tegit longo sub tegmine cultrum.
Versicolore ferox graditur discordia palla,
Irrequieta serens infandae crimina caedis.
Occupat ast agmen medium coenosa libido
Fonte acheronteo, foedisque paludibus orta;
Os, habitumque gerens conspersum floribus, atram
Ut superare queant graveolentia membra mephitim.
Cratera impurum laeva tenet: illita labra
Nectare distendit dulci, insidiosa Voluptas:
Mortiferum fundo virus sed celat in imo.
Inferno hinc crispat flammantes sulphure taedas,
Tartareum incautis queis ossibus implicet ignem.
Sethigenas haec monstra petunt furialibus iris
Perniciemque struunt: Coeli veneranda Propago
Moribus angelicis fulgens, et robore septa
Impetitur: pugnat forti certamine Virtus
Conterat ut stygias vires, Pietasque Pudorque
Alma Fides, clypei objiciunt septemplicis orbes
Conatusque feros frangunt, ictusque repellunt.
Impatiens furit atra cohors: non ira, nec ullum
Telorum cessat genus: ignitos jacit angues.
In medio infrendet malesuada superbia campo,
Folleque ventoso Discordia suscitat iras
Impia succendens inimicae semina flammae.
Assurgit tacita insidiis, et plurima torquet
Spicula luxuries; virtutis at aureus umbo
Excipit intortas orci, reprimitque sagittas.

Ast ubi conjectos ictus nil aegidacontra
Coelestem valuisse vident, molimina tentant
Successu potiora: novi via certa tryumphi
Luxuries inquit, vafras repetenda per artes :
Blandiloquens primum stravit quae faemina Patrem,
Prosternet natos: furias stat foemina centum
Una super: dabit optatam victoria palmam.
Assensere omnes plausu, fremituque secundo,
Subdula foemineam prolem pertentat Erynnis
Taedasque, et virus stygium in praecordia subdit.
Illicet ignis edax serpitque, crematque medullas,
Impellitque animos: oculis, vultu emicat ardor:
Turba puellaris, celebrem quam candida forma
Exhibet, en properat laqueos nexura protervos,
Progeniemque Dei lethali fascinat esca.
Heu vidit, periit: pervadit noxius aestus,
Cor motu ingenti convellit: pectore virtus
Exulat: infandum! rapiturque, ruitque profanum
In scelus. Ut segetem cum flamma furentibus austris
Corripit arentem glomerata incendia volvens,
Sternit agros, plantasque acrem meditata ruinam;
Haud secus impuro vis ignea concita flatu
Serpit ovans, sternitque viros, spissisque tenebris
Obvolvit dominata animos, ardoreque torret.
Tum vero effractis subito ruit undique habenis
In vetitum gens prava; adeo furiosa libido
Concitat, et miseras hebetat caligine mentes!
Infami in caeno volvuntur et alma refringunt
Jura pudoris opus: naturae vincula foedant
Infami scelere: haud aetas tunc ulla reperta

Quae in crimen praeceps non sese immitteret atrum.
Hinc robusta phalanx ingenti robore pollens
Exoritur, coelumque armis minitata lacessit.
Stultos, qui Divum fulmen, fatalia tela
Irritant ignari, quo tonitru impia frangat
Agmina Vis Superum. Proh quae feralis imago
Percellit mentem ! quot pullulat atra colubris
Foeda lues, totisque amens dominatur in oris.
Frustra contenduntPietasque, Fidesque, Pudorque,
Relligio. Impietas vastas baccata per urbes
Dementes agitans populos in crimina cogit.
At non dira cohors totum quae perdidit orbem
Insignem pietate virum sat sternere tabo.
Postquam vis animos potis est haud ulla tenere
Consilia exosos, ut se tutetur avernis
Ictibus, ingenti se muniit objice, firmus
Stat virtute sua: pugna luctantur inani
Luxuries, Fraus atra, Superbia, foedaque monstra :
Virtutum collecta manus coelestibus armis
Adstat, et Herois defendit vivida pectus.
Monstra iram effundunt: at nil magis ille movetur,
Quam ventis immota silex, undaeque furenti.
Inclyta proh virtus! te queis ego versibus ornem?
Serta tuis meritis vel quae rutilantia texam ?
Felici augurio luce alma fulgurat aether,
Atque viro insigni jam praemia debita reddit.
Invictus si pestem immanem reppulit unus,
Unum de immenso servabit funere Coelum.

CARMEN 7.

De Diluvio Universali

Ingenti undarum demersas gurgite terras
Extinctumque genus, pecudumque hominumque ne-
Ob scelera, ereptumque virum lethalibus undis (fanda
Dicere fert animus: Summi Regnator Olympi,
Tu memora causas turpes, tua Numina adegit
Queis genus humanum saevas exposcere poenas,
Atque opere in tanto validas mihi porrige vires.
Terrigena oblitus, supero quod munere laetos
Duceret orbe dies, virtutisque immemor almae
Per scelus omne ruit: rapitur per fasque, nefasque.
Quis narare potest hominis mala crimina, foedas
Culpas, et tristes sortes, quibus impia corda
Foedarat demens insano abreptus amore?
Ast Pater Omnipotens procedere longius atra
Flagitia, atque homines culpis haud passus iniquis
Se temerare; gravi letho delere scelestos
Constituit, talesque effudit pectore voces:
Ergone tam patiens hominum scelerata videbo
Facta? feram obscoenas noxas, animosque rebelles
Audentes immane nefas, ausoque potitos?

Num bene apud memores nostrae stat gratia dextrae ?
Venit summa dies, et ineluctabile tempus:
Stat culpis posuisse modum, stat perdere iniquos.
Sic ait, et corde accenso, vultuque minaci
Imperat et rabidis ventis , dirisque procellis
Omnia ut obruerent , delerentque omnia late.
Nec mora: baccantes venti velut agmine facto
Una Eurusque, Notusque ruunt, et turbine perflans
Affricus immani, Coelo maria omnia miscent.
Jam condunt densae lucentia sidera nubes.
Praecipites secum certant Eurusque, Notusque
Increpitans, totus resonatque fragoribus aether
Turbidus, et crebro nubes cava fulgurat igne.
Jam Pater Omnipotens dextra, laevaque relaxat
Horrisonos nimbos, vastas et pandit abyssos
Ipse manu magna. Disruptis molibus amnis
Ut sternit spumans immenso gurgite victum
Vallum, per campos omnes armenta, bovesque
Cum stabulis volvit , sic diro turbine nubes
Perfractae in terras torrentia flumina fundunt:
Convulsa immissis ventis maria omnia fluctu
Ingenti exsuperant littus, pelagoque furenti
Invadunt campos. Cunctis per fracta cucurrit
Ossa tremor: tardis aspergunt fletibus ora.
Naufraga jam Oceano fluitabat terra profundo
Iam cernunt homines intentare omnia mortem ,
Ventosisque altas immergi fluctibus urbes.
Arripuere fugam: pedibus timor addidit alas:
Exangues pallent instanti funere vultus,
Discessu in misero moestis loca cuncta querelis

Incendunt: nati tristes ante ora parentum
Concursant trepidi: modo stant, modo vertere tentant
Terga fugae: pavidum conjunx complexa maritum
Deficit exanimis: cara aufert pignora mater
Lethifero e fluctu, trepidans super alta domorum
Culmina conscendit: superi petit altera montis
Convexa; effugium miseris negat unda tumescens:
Se nemo a tanta potuit subducere clade.
Procubuere homines fato, genus omne ferarum
Deletum, pinguesque boves, pictaeque volucres
Quaeque lacus liquidos habitant, et florida prata.
Ast ego prospicio undarum per summa natantem
Impete ventorum crudeli, et fluctibus Arcam
Jactatam huc illuc, saevo non turbine victam
Incolumen ferri: major quaque impetus undae
Altius evehitur, et firma lacessit
Aequoreas iras, et tuto tramite montem
Stat super excelsum. Noe servantissimus aequi,
Pectore qui valido scelerum stetit omnia contra
Tela, fide insignis, celebri et pietate refulgens
Conjuge cum fida, natisque a funere tutus.
Tandem post multos menses evanuit unda,
Squallida et emergit tellus: stat littore pontus,
Ventorum sua claustra petunt rabida agmina, ab ar-
Excedunt, sponsae, nati, conjuxque Noaci, (ca
Et pecudum genus omne: tremens supero ipse To-
Persolvit grates, cumulatque altaria donis (nanti
Exposcens pacem, pecudum libatque cruorem,
Aeternumque animo ferventi Numen adorat.

CARMEN 8.

Job

Invictum, mea Musa, virum, qui pectore forti
Horribiles casus, diros et Daemonis ictus,
Fraudesque, insidiasque tulit, fer ad aethera cantu.
En superi ante oculos sedes reseratur Olympi,
Almus ubi regnat, diva comitante caterva
Regales inter pompas, et flumina lucis
Per sacras aedes nitido manantia vultu,
Arbiter aeternus, Divumque aeterna Potestas.
Et summos inter Proceres stetit Angelus, axe
Qui praeceps cecidit nigrantem missus ad Orcum.
Hunc ubi conspexit Rex almus, sic ait: unde
Tu? -- Totum, dixit, pennis velocibus orbem
Lustravi. -- Jobum terris virtute nitentem
Vidisti insignem? tantis num frangere damnis
Invictum robur potuisti? dira procella
Obruit eximiam virtutem, animumque valentem
Impulit? oh meritis nulli et virtute secundum? --
Tum pudor invadit vultus, et coeca fatigat
Hunc rabies, graviora parat, saevisque flagellis
Contritum sperat firma depellere mente

Subridens, rabiemque tegens: Job robore fultus
Stat, te nunc firmus veneratur, damnaque suffert:
At si tu pateris, concidi verbere corpus,
Vulneribusque premi, converso pectore Numen
Oderit, et diras profundet pectore voces --
Vade, ait Omnipotens, ferias, ac grandinis instar
Ictus labantur, caveas sed perdere vitam --.
Tum vero exultat, praeclarum et mente triumphum
Concipit infernum monstrum, celerique volatu
Deserit aethereas arces, perque aera magnum
En ruit, et Jobi penetrat furibundus in aedem.
Stabat corde gemens, curis et saucius atris
Perfusus lacrymis, aegra ac suspiria ducens
Acclinis duro ligno, fulcitque trementi
Dextra triste caput, dum barbara fata revolvit,
Natosque extinctos immani funere, et agros
Turbine praecipiti fractos, et rapta furenti
Armenta, et pecudes acie. Fera labra momordit
Lucifer: en inquit, nostros qui immobilis ictus
Sprevit, et immani pectus vexante ruina
Stat firmus: cedet, cedet constantia virgis
Cum diris humeros, vultus, et crura lacessam.
Num me mortalis poterit vis spernere inultum?
Haec ait, et dextram furibundam protinus implet
Torre ambusto, humeros aegros sine more flagellat.
Territus expavit Jobus, nimbumque furentem
Dorso praecipitem sentit, nec respicit usquam
Plagarum auctorem, sed rupto corpore sanguis
Profluit in rivos, sanieque fluentia membra
Cernens, intremuit, suspirat, concidit aeger.

Eheu quid faciat? qua spe miserabile corpus
Subtrahat ingenti damno? quae firma resistit
Hisce malis virtus? eheu labefacta peribit?
Ergo infrendentis Satanae furor acer, et ira
Vicerit, et referet fracta e virtute triumphum?
Quid loquor? invictus perstat tela omnia contra
Heros: ac veluti cum venti evellere quercum
Agmine conantur furibundo, et sternere plantas
Dum fragiles possunt, illa inconcussa furorem
Ventorum spernit, conatu haud frangitur ullo.
Oh spem delusam, clamat, fusosque labores
Incassum, Daemon, mene hac desistere pugna
Aspiciet victum? Jobone haec gloria cedet?
Credo equidem cessant funesta in praelia vires.
Saevior insurgam, majora et bella movebo.
Vix ea, cum subito fuscis se sustulit alis
Uxoremque petit fraudisque, dolique ministram.
Induitur servi formam, vultumque senilem,
Et vade, o conjux, aegro ac gratare marito:
Aspicies illum immani quo vulnere turpem:
Non caput, aut pectus, non brachia, cruraque foedis
Vulneribus caruere, silet: stupidusque perennes
Fert Domino grates tanta pro mole malorum.
Accelera, verbisque onera, stimulisque fatiga;
Dic Domino fundat convicia dira, necemque
Oppetat. Inde vafer stultos compellat amicos
Ut properent, Jobique insanis vocibus iram
Extimulent: venere omnes, convenit et Uxor.
Ut videre Virum foetenti in sorde jacentem,
Et testa saniem purgantem, et nulla moventem

Verba, imus moeror miseros oppresserat artus,
Atque animum, mentemque: diu siluere; sed ultro
Conjux extimulata acri sic bile profatur.
Oh demens, quantis caput objectare periclis
Quot damnis potuit pietas tua: praemia quippe
Digna refers, meritis pro tantis haec Deus addit
Dona tibi? rapuit prolem tibi turbo: Sabaei
Divitias rapuere tuas: quid vulnera dicam, (lum
Queis premeris? Dominum laudas tu stultus? in il-
Eja age tu effundas animam, vitamque perosus
Fata subi. Accedunt stulto sermone sodales,
Et Jobum increpitant, et Jobi crimina fingunt.
Heu quae tempestas immani turbine adegit
Qua mole undarum vasta caput impetit, et quos
Expavit trepidans convulso in marmore fluctus?
Ast non vorticibus rapidis, non dirus aquae mons
Heroa oppressit validum: dat gutture tristes
Voces, et querulus falsos incusat amicos.
Haec ne datur pietas, sic vos sermonibus aegrum
Impetitis stulti, nulla et pietate movetur
Pectus? ita afflictis rebus mala plurima saevi
Congeritis, quae tanta fero? cur limina vitae
Ingressus, cur me peperit non gaudia Mater,
Sed luctum latura mihi? cur lumina morte
Non clausi exoriens, ne in tanta pericula missus,
Totque mala indignae premerer nunc turbine sortis?
Me Deus innocuum pressit, sed dextera summa
Me feriat; bona mi dantem, plagasque ferentem
Osculor, et firmus sedato pectore adoro.
Oh virtus animi nullis concussa procellis!

Oh robur, summumque decus! quae praemia dentur
Digna tuis meritis? quae? summus jam intonat aether,
Apparet sudum discissis nubibus; adstat
Sidereo invectus curru Deus: Huic latus almum
Praecingunt superae vultu rutilante catervae,
Procedit secum Pietas, Constantia, et aequa
Lance Themis: Dominus clara de nube loquelam
Fundit: quo sonitu tremuere agri, montesque supiui:
Et venti tacuere: silet maris unda recumbens.
Oh tot Job invicte malis, nullis et abacte
Turbinibus! tua te virtus ad plurima tollit
Gaudia, et infractam mentem solabor opimis
Post diros casus, post damna ingentia, donis.
Excedat rabie infrendens, nimioque pudore
Suffusus nigri serpens sceleratus Averni.
Conticeant linguae insanae, metuantque caducum
In caput, intorquet quod coeli dextera fulmen,
Ni per te placent divini pectoris iram.
Stat tibi certa quies, et vitae tempora duces
Largus opum, natosque tuos, multosque nepotes
Aspicies senior nulli splendore secundus.
Tunc subito superis properat constantia ab oris
Et Jobum afflictum divinis confovet ulnis,
Oscula et infigit tam firmae plurima fronti.
Contactu divo disparent vulnera, risus
Atque decor redeunt, et pleno copia cornu.

CARMEN 9.

De Divo Petro et carcere educto

Impia vesanos mortalia corda furores
Exacuant, Coelumque petant minitantibus armis;
Non tamen in superos vis ulla, inimicaque tela
Proficient: ictusque omnes effundere in auras
Cernentur. Te Petre canam, fidissime custos
Illius, tibi quem tradit Deus almus ovilis
Pectore magnanimo fortis, dum barbara monstra
Fata gregi misero, et diram meditata ruinam
Rejicis, et saevis caput objectare periclis
Nil palles: Te Petre canam, quem carcere nigro
Inclusum nocte in placida delapsus ab astris
Expedit, et laqueis, et ferrea vincula rumpit
Angelus: at facilis mihi nunc a sedibus aureis
Queis renites rutilo redimitus tempora serto
Sufficias vires precor, aspiresque canenti.
Jam ferus Herodes ingenti turbidus ira
Praesulis innocuo foedarat sanguine dextram,
Cui Solymae fidos populos data cura regendi;
Cum majus mens orsa nefas spectacula dira
Cogitat ut genti infidae gratissimus extet.

Nec mora: militibus cinctum, vinclisque gravatum
Carcer habet Petrum: tristi loca turbida nocte
Senta situ replet horror: adest furibunda caterva
Quae dictis malesana virum proscindit acerbis,
Nec patet effugium: capiti ferus imminet ensis.
Exultat Princeps, votis crudelibus horam
Immanem geus dira, cadet qua maximus heros
Sollicitat: nil heu virtutis gratia prodest,
Nil morbos pepulisse juvat portentaque mille:
Sagrilegas poscunt insonti e sanguine poenas.
Grex trepidat, trepidis incenditque aethera votis,
Et petit auxilium, lacrymis perfusus amaris.
Ah Pater Omnipotens inquit, Coeli arbiter alme,
Aurea sublimi torques qui sidera dextra
Cuncta supercilio terrens, miserere gementum,
Pastoris miserere tui: fera vincula frange,
Sanguineique acrem rabiem delude Tyranni.
Tu vatem innocuum crudeli ex ore ferarum
Eripis, et Babylon monstro confusa potenti
Invidia afflatos homines his destinat escam.
Surge age: propitio genitor nos respice vultu,
Eripe nunc laqueis crudelibus eripe morti
Insignem pietate virum. Nec plura profatur
Singultu impediente sonos. Pernicibus alis
Ferventes petiere preces Coelestia tecta.
Tum Pater Omnipotens moestae succurrere genti
Constituit, superisque Pius demittit ab oris
Aligerum, ut Petrum ferali e carcere solvat.
Hic paret dictis supremi Numinis, alas
Gemmatas agitat, volat ecce per aera magnum:

Luce nova renitet Coelum, fuscisque tenebris
Exuitur: paribus cito pennis astitit urbi
Ingrediturque locum. Petri sopor occupat artus,
Disparet caligo; jacentem suscitat ales
Sic orsus: velox surgas: cecidere catenae
E manibus, pedibusque, fugae data copia: falle
Custodes, tutum te certo ego tramite sistam.
Obstupuit, tacitaeque putans insomnia noctis
Exurgit Petrus tamen, incertusque, timensque
Egreditur, sequiturque ducem: stat ferrea porta
Cardine ferrato suffulta, atque obice firma.
Ast ultro patet illa manu reserata potenti,
Et Petrus incolumis trahitur de nocte profunda.
Angelus ex oculis tenues vanescit in auras,
Veraque tunc animo laeto portenta fatetur,
Collectumque gregem festiva fronte revisit.

CARMEN 10.

Versio Psalmi XV.

Conserva me

Dive Parens, extende manum, dirasque procellas
Quae nostro capiti impendent, hostesque feroces
Ah! cohibe, disperde, fove tu numine Prolem,
Nec quae blanda sinum fulcit, spes irrita in auras
Vanescat: tibi summa Polo, terraque Potestas,
Omnia quae moderatur, opis non indiga nostrae.
Haec Domino fudi ore mei studia intima cordis,
At sanctos quorum surget laetissima terris
Progenies miro genitor refovebit honore.
Enerves, fracti languent, miserandaque pascit
Membra lues, vires vasto quae sumit ab aestu
Per caedes, per damna furens. Me tristis imago
Conficit optantem rabidam disperdere pestem:
Fulti ope divina, mortisque a limine tracti,
Concipientque novas vires, et pectore certo,
Et pede securo mea post vestigia current.
At non accedant, turpi qui sanguine sordent,
Sint procul hi, quos thura Diis, vitulosque prophanis
Usque offerre juvat, puerosque ex ubere raptos.
Sint procul, atque absit nostro de gutture nomen.

Cuncta libens patiar supremi Numinis haeres.
Pars mea tu Dominus, bona tu mihi cuncta, calixque
Dulce beans animum. Post tot discrimina rerum,
Post saevos nimbos, fato quibus obruor atro
Tu mihi restitues optato faenore regnum.
Sors mea laeta nimis! Domini sors inclita! funes
Adducti in partem nimium cecidere beatam.
Oh! Domino referam grates atque ora resolvam
In laudem: dedit ille mihi, quae summa videret
Consilia intuitu, mentem: quid plura? per ipsam
Noctem, nigra furit toto dum turbida coelo
Tempestas, stimulo pungit me prompta voluntas.
Ante oculos semper Dominus; ne laber, opem fert.
Laetitia hinc gestit dulci cor, linguaque gestit.
Si caput hoc fuscis jam mors circumvolet alis
Spes alet, et requies artus tellure repostos.
Dive Pater mihi pacta fides: non immemor unquam
Prolis eris, nigris unquam nec spiritus oris
Hic desertus erit; per te confecta suprema
Nec macie mea membra cadent: quo tramite vitae
Ire jubes, curram felix: mihi parta voluptas,
Aspectuque tuo mihi pax, mihi gloria surget.
Gurgite inexausto pascit me copia dextro
Exceptum solio, bona quae nulla auferet aetas.

CARMEN 11.

Susanna ab impuris senibus tentata

Cum sol ardenti lustrabat lampade terras,
Et rapido cnrsu medium conscenderat axem,
Tempore, quo miseris mortalibus acrior aestus
Ingruit, et vasto tellurem findit hiatu,
Fontis ad illimes tepidi se contulit undas,
Ut rabidos aestns puro sub fonte levaret
Moribus insignis mulier, cui foedera lecti
Sacra, atque intacti cui cordi jura pudoris.
Imminet huic fonti ramis frondentibus arbos,
Praebet et hospitium violenti solis ab aestu:
Exurgunt varii ridenti in margine flores,
Quos alit unda fluens, replent et odoribus auras.
Cantu auras mulcent volucres circumque, supraque·
Huc sola ingreditur, nudos et vestibus artus
Deponit mnlier nullà comitante puella.
Cum subito invisi fontis de parte sinistra
Inspexere senes bini nudata Susannae
Corpora, quicedunt vel lac, vel montibus altis
Nix modo lapsa: oculos urit forma inclita frontis,

Egreginmque decus; violens it flamma medullas
Per medias, siccis atque ossibus implicat iguem.
Nec mora: disruptis fertur flamma improba habenis,
Accednnt fonti: malesani pectoris ausus
Urgent, quos pudor augustus, quos frangeret aetas.
Ut videt, expallet, castae tremor ossa Susannae
Concutit, utque pavet milvo veniente columba
Candida, dumque fugit niveas timor impedit alas;
Sic mulier, collapsa metu stupet inscia, vultum
Obtegit, et pulcros artus, quos condere veste
Non valet, exanimis liquidis submergit in undis:
Ore proci infracto, turpis quo flamma, scelusque
Erumpit, trepidae incumbunt, verbisque malignis
Extimulant ad turpe nefas: stat firma Susanna,
Pectore et intrepido sceleratis inclita votis
Obstitit: insurgunt olli, propiusque lacessunt
Matronam obstantem: tanto magis illa resistit,
Ut rupes immota undis, immotaque ventis:
Irritant animos, quas dat generosa repulsae,
Et magis ignescit senibus calor, insuper ira
Additur, et rabies, aditusque ad crimina tentant
Usque novos; qualis placidus per inania ventus
Perflat, at immanis lucus si flatibus obstat,
Tum fremit, et gliscit motus, nisusque, furorque.
Est ollis certum vel blanda impellere fraude,
Frangere sive minis luctantem, ac talia fantur —
Stulta! putas nostras flammas impune, manusque
Evasisse? tibi nostris vel cedere votis
Est opus, aut diro lapidum sub turbine vitam
Perdere: nos ipsi testes ad dira petemus

Supplicia, et juveni impuro te haesisse patebit.
Intremuit mulier, trepidoque in pectore virtus
Deficit: exclamat, diris premor undique curis,
Mens titubat, duplici infelix convellor ab aestu:
Hinc premit integritas, et me servare carentem
Criminis exopto: confictum hinc crimen, et ingens
Imminet opprobrium, et durae poena aspera mortis
Quid faciam? infelix qua vi ... non ulla potestss
Mi datur: infelix tanto in discrimine rerum
Quid faciam? certum est saxis dare membra, necique:
Quidlibet horrendi mihi dulce subire, priusquam
Aut infida viro, Domino aut infida, pudorem
Solvam, ac aeternas perfringam crimine leges.
Macta animo mulier, te queis ego laudibus ornem,
Cui vita turpi mage mors jucundior, omni
Proponenda solo, toto celebrabilis aevo!

CARMEN 12.

Moysis Canticum

Audite Coeli quae loquor

Audiat haec Coelum, haec tellus, quae extrema pro-
Verba, meae voces dimanent roris ad instar (fundo
Ut teneras imber gelidus qui temperat herbas.
O vos, Hebraei, numeris extollite dignis,
Quae vos donavit centeno munere, dextram,
Illius aeterno vos tollite carmine laudes.
Dextra potens summi Regis discrimina mille
Reppulit, et Pharii perfregit dura Tyranni
Vincula, frendentem et rabie sub gurgite mersit,
Perque novos calles populum sibi duxit amicum.
Dulces elicuit saxosa e rupe liquores
Aethereoque cibo pavit cara agmina. Gens oh!
Perfida, mentis inops, laxis quae in crimina habenis
Praecipitas, Dominumque indigno corde lacessis,
Illius et cultus, sacras et respuis aras!
Haec igitur Regi summo, gens prava, rependis?
Effera pertentat caecas insania mentes,
Et rapit in vetitum, jubet ac exquirere sordes
Numinibusque reis cultus adolere prophanos!
Perfida gens, non ille Pater, non providus Auctor

Fortunae, vitaeque tuae? Tu maxima cura
Numinis: immensos Genitor cum conderet orbes
Maximus et vastum stellis ornaret Olympum,
Ponderibusque suis terram libraret inertem,
In Jacob Dominus vehementi ardebat amore.
Hunc vidit miserans horrenda compede vinctum,
Oppressumque jugo dira sub clade gementem,
Et tactus pietate feros tunc contudit hostes;
Utque aquila extensis portat sua pignora pennis,
Imposuitque humero, terramque invexit opimam,
Ut dulces ederet fructus, ut dulcia mella
Quae saxis fluerent: foecundis uva racemis
Turget ubi, distenta ferunt atque ubera lacte
Armenta; heu miserum! tanta pinguedine laetus,
Tanta sorte fruens, Dominum pede fervidus urget.
A summo indignus descivit Numine, tanti
Immemor et doni, tantique oblitus amoris.
Sacrilegas, Domino insultans, en instruit aras
Daemonibusque greges despecto Numine mactat.
Perfida gens infida, tuo malegrata Parenti!
En, en exardet violentas Numen in iras
Jam valida dextra vastantia fulmina torquet:
Vox boat en tonitru horrisono; tremor occupat artus.
Laesus ego: gens prava time, jam perfurit ignis,
Erumpitque animo, qui immani turbine praeceps
Pervadet sedes stygias, cum germine terram
Destruet, et vastos immensa cacumina montes:
En mala in indignos populos mea congerit ira,
Inque necem vibrat lethales certa sagittas.
Confectas macie torquebit dentibus artus

Dira fames; inhumata snper quin ossa volucres,
Et rabidae tigres stabunt, rabidique leones;
Immittam in sontes tristes violentior angues.
En micat in miseros violenti fulminis instar,
Qui foris immanis trepidos exterminet ensis;
Intus membra pavor convellet, et anxius aegros
Pervadetque senes, juvanesque, et nescia fari
Pectora. Sunt ubi Di? queis illi corde profano
Thura dedere, preces: veniant nunc, funere servent
Cultores stultos, veniant, mea tela refellant.
Haec te sors funesta manet gens perfida, cnlpis
Debita sors diris; juvat at retinere flagellnm,
Et cohibere graves iras, stragemque paratam,
Ne quae Idola colit, gens prava superbiat, atque
Excidii tanti valeat sibi poscere honores.
O gens mentis inops, num te prudentia fulcit,
Dum domini gratas collo amoliris habenas?
Oh utinam saperes, utinam lux alma fugaret,
Quae mentem obvolvunt funesta nocte, tenebras!
Qua vi mille queat in bella ruentibus unus
Vastam inferre necem, qua vi minitantia quinque
Bis millena duo prosternere et agmina possent,
Ni Deus exitium summo sanxisset ab axe?
Numinis haud nostri virtus aequanda Deorum
Virtuti: micat ille super, viresque superbas
Ictu oculi frangit, tenuesque effundit in auras.
Hostes sunt testes, hostes, quos impete certo
Fudimus immensos, Domino pugnante, per agros.
Has quoque, quae superant violento turbine gentes,
Disperdam: turpem quae sors infanda Gomorrham

Perdidit, et Sodomae quae moenia diruit olim
Ingruet haec eadem populis, qui felle draconum
Illita vina bibunt. Manet alta mente repostum
Triste nefas, jam tempus adest, jam criminis ultor
Convellam stantes, et saevo funere perdam.
At Dominus Judex mitis, pietateque motus
Fulciet infirmum populum, gentisque superbae
Relliquias, summo contundet ab axe furores.
Voce tonat: fidae gentes haec figite cordi
Dicta -- Polum rutilum, vastum qui temperat Orbem
Unus ego: mendax finxit sibi Numina vulgus
Vita quibus nulla, et queis nulla potentia, solus
Arbiter orbis Ego, cultus removete prophanos,
Saeva meis dictis paret mors, vitaque paret.
Prout juvat, infligo vulnus, donoque salutem:
Quosque mea arripuit malefidos dextera, nemo
Mi rapiet, dextram validam super astra levabo,
Et loquar: aeternum vivo, si fulguris instar
Exacuam gladium, si forti pectore judex
Insurgam, tumidos violentis ictibus hostes
Disjiciam, metuenda reum bibet hasta cruorem. --
O gentes fido populo vos texite laudes:
Nam Deus effusum populi super arva cruorem
Hostibus a domitis extrema clade reposcet.
Respicietque suam clementi lumine terram.

CARMEN 13.

In Divae Parentis Immaculatam Conceptionem

Virgineum celebrare decus, clarumque triumphum
Quem tulit ingrediens mortalis limina vitae,
Virgo decus coeli Jesseo sanguine nata,
Infernique hostis luctantia cornua fregit,
Mens devota jubet: sublimi ex aethere votis
Annue Virgo meis, propera, mentemque labantem
Tu rege, coelesti fulci tu numine pectus.
Vix splendore nitens, supera et virtute coruscans
Alituum stipante choro, demissus ab astris
Intrabat Mariae terrenos Spiritus artus;
Cum divos radios obliquo lumine serpens
Tartareus diro suffectus corda veneno
Respicit infrendens: stygii per flumina regni
Iuratus rigidis animam perstringere vinclis
Apparat, et lucem lethali extinguere tabo.
Haec est, haec inquit, crudeli e pectore flammas
Eructans, haec illa caput quae frangere planta
Jussa meum, memini coelestis verba Tyranni
Ingentesque minas: nunc illas promere vires
Nunc est hora, quibus laetis in sedibus usus

Primoevam vafra prostravi fraude Parentem,
Immersamque malis et diro vulnere fractam
Corripui, miserosque simul per saecula natos.
Sic ait, et dicto citius per nubila fertur
Ingreditur campo, palmam sibi poscit opimam.
Ast ubi commisit sacram caeco impete pugnam
Conseruitque manus audaci pectore , ferrum
Unde ruunt totidem clades quot fulminat ictus,
Vagina eduxit Michael, hostemque superbum
Invadit: diva fractus virtute , repenti
Dat praeceps sua terga fugae: pavor occupat ima
Corda, secatque cita trepidantia nubila penna.
At Michael properis Satan per inane volutum
Alis insequitur: fatale instare tremiscit
Ille humeris telum , coelis quo audacia praeceps
Collisa, ac sontes animae quo in tartara trusae.
Intonuere poli, crebra flamma emicat aether
Justamque ad poenam malesanos pectoris ausus
Terra, polusque vocant: ruit ille per aera magnum
Et fugienti instat, sulphurque ex ore vomenti
Complentique leves magnis ululatibus auras.
Insequitur, jam jamque tenet, dextramque potentem
Injicit anguifero capiti, nigrosque lacertos
Implicuit solido firmis adamante catenis.
Tum vero exarsit rabie: conamine multo
Frangere vincla parat, dentesque exasperat uncos,
Illius ast saevis oculis mucrone corusco
Urget dux fortis Michael, praesensque minatur
Exitium, tantos reprimat ni corde furores.
Apprensum et pectus vesana bile tumentem

Impulit, ingenti luctantem ac perculit hasta,
Virginis ante pedes: trepidat nihil illa scelestos
Tartarei Monstri nisus, cervicibus instat,
Et pede magnanimo linguis vibrantibus ora
Sibila contrivit, divo praeclara triumpho.
Coelituum plausere Chori, laetatur Olimpus,
Ingentesque Poli gyros lux aurea vestit.
Ac subito exultans properis Victoria pennis
Sublimi huic cingit radiantia tempora serto,
Invictamque manum palmis victricibus implet,
Laetitiaeque sonus festanti e gutture solvit.
Salve Virgo potens stygio celeberrima monstro
Daevicto: fremat ille ferox; fremat ore cruento.
Impia vis cecidit, perfractaque cornua noscat.
Improbe vesanos tua verte in viscera morsus
Et frustra infanda rabie tua corda fatiga.
Tu tu Virgo nites, prisci nec criminis umbra
Te laedit; luna, majori et purior astro.
Tu felix aurora diem mortalibus aegris
Excussum immani reddis caligine, curas
Tu pellis rigidas, felicia munera, pacem
Naufragio mersis, et tempestatibus atris
Diva refers, tu sola humanae gloria gentis:
Tu tu grande decus, columen tu, firmaque Turris,
Laethiferis cerno dominantem fluctibus arcam;
Illaesam video flammanti in vertice sylvam.
Tu fons illimis nitidis argenteus undis,
Obvius et nulli tu felicissimus Hortus.
Salve Virgo potens, populi spes una caduci,
Tu Jael, Judith, tu mage fortior Aesther.

CARMEN 14.

De Divo Placido Recinetensi. (1)

Te, Placide, insignem meritis, quem candida fovit
Relligio teneris immulgens ubera labris,
Quem gremio excepit Pietas, quem mascula Virtus
Jam rude donatum rutilantibus inserit astris
Te, Placide, insuetus sub pectore qui furit ignis
Concelebrare jubet, sacros et corporis artus,
Quos nuper furor immanis per moenia frendens
Evertitque solo, disjecitque ater in agros,
Nunc pompa insigni priscam concursus in aedem
Inter laeta refert jucundi gaudia cordis.
Septima convexos vultu radiante per orbes
Post diram illuviem, sceleratique effera Martis

(1) Corpus Divi Placidi Civis Recinetensis, quod intactum in ejus extra Urbem templo manebat quodque etiam in templi incendio non laeserant flamme, Gallorum acies urbem diripientes ab ejus sarcophago sagrilege extraxerunt, discerptumque projecere. Sacras Reliquias intrepido pectore statim colligendas curavit et in Basilicam Cathedralem convexit Illmus: ac Rmus: Septimius Mazagalli: sex annos post Episcopus Felix Paoli à summo Pontifice Pio VII. precibus obtinuit ut sacrum Corpus in suam aedem iterum transferretur: quod magnifica pompa, et summa devotione fecit peractum.

Excidia, et raptas furiis immitibus aras
Vix fulsit trepidis rerum mortalibus aetas,
Cum Placidus fixos oculos convertit ad oras
Dilectae Patriae: videt increbrescere vota
Ferventis Populi, praeclari et Praesulis Olli
Praesidet insigni qui Pallade, viribus impar
Corporis, ast animo erectus, quem nulla fatigant
Improba, quique novas prudens per turbida rerum
Sumit opes, clavumque regit, velisque ministrat
Intrepidus: videt inde suo sine corpore sacras
Sedes, affusi terrae cui plurima cives
Vota dabant, genibus cui plura et convena pronis.
Haec secum, curaque haeret defixus in una.
Tum sede assurgens, quam lumine gloria vestit
Aeterno, Divi supplex ante ora Parentis
Haec fatus: Genitor recta qui lance rependis
Praemia virtuti, qui sontes fulmine terres
Horrisono, liceat justis incendere votis
Corda Patris: Reginae afflictae mihi testis in oris
Quam molem excierit curarum infanda procella
Urbis in exitium stygiis effusa tenebris,
Cum subito incumbens reboanti pallida fluctu
Moenia concussit, rapuitque in vortice gazas.
Tum trepidas aras invadens improba, cladem
Et sacris pateris, sacris atque ossibus infert; (ma
Quosque olim horrendum stridens haud lambere flam-
Ausa meos, inimica per agros dispulit artus;
Quos ni fida manus passos fanda, atque nefanda
Colligeret, sonipes insultans quadrupedante
Contereret pulsu: tamen olim dedecus atrum

Solabar fatis contraria fata rependeus,
Dum mihi pollicitus Reduci pompamque decusque
Immortale. Pater nostris ah! flectere votis,
Et tua sancta fides meqne in mea tecta reducat,
Et cineri irriso promissos solvat honores.
Vix ea: cum subito solio Rex iufit ab alto
Parce metu ; quo, Dive, mei fiducia cessit
Indubitare tuis meritis absiste precando.
Expectata Dies properat, quae luce recenti
Imbuet et patrias sed es, simul imbuet aras.
Sic placitum: roseis quamprimum iuvecta quadrigis
Candidior surget tenebris Aurora fugatis.
Tum te pompa nitens primas comitata sub aedes
Festivos inter plau sus, himnosque flueutes,
Devotasque virûm lacrymas tibi solvet honores.
Et mage solemni populi celebrabere cultu.
Nec mora: diffindens peruicibus aethera pennis
Ales adit, qui jussa ferat , mentisque capacem
Ingentis Felicem alloquitur , dum languida somno
Membra levat, dum prima quics gratissima serpit.
Excutitur Praesul, tum arrectis auribus adstat.
Sentit adesse Deum; Tharide et promptior, adsum,
Conclamat, simul et jussis parere supernis
Adproperat: generosa animi quae plurima virtus
Sponte sua quaeque ad sublimia fertur auhelans
Gliscit in immensum coelestibus ignea jussis:
Ergo omnis firmo prudeus solertia nisu
Ingreditur campo: juvat indulgere labori,
Eximiamque juvat quamprimum attingere metam.
Ecce Pium scriptis urget, solioque volutus (quam
Procumbit, funditque preces. Verum inclita num-

Per salebras nisi difficiles, dumosaque tesqua
Gloria consequitur celsi fastigia montis.
Forsan et aeterno lex haec est indita fato
Semper, ut objicibus circum tardetur iniquis
Grande opus, et circum remoranti mole prematur.
Hinc campo adversa apparet, vultuque severo
Illabefacta animo, parmaque interrita virtus
Relligio dedit insidias, cui et pellere fraudes,
Immeritum ne quid sacras obrepat in aras.
Altior insurgens certos haec evibrat ictus.
Dum cadat aethereo, si non par, futilis ense
Qui sibi poscit, honos, solemnis praemia cultus.
Purius ast veluti torquentibus ignibus Aurum
Enitet, et dura subigunt quas cote, secures,
Utque silex silicem conflictu dum terit acri,
Scintillae absistunt, rapiuntque in fomite flammam.
Haud aliter Placidi multos tentata per ictus
Enitet inde magis Virtus, radiisque coruscat.
Voti compos ovat póst tot discrimina Felix,
Tantae et molis opus praestanti fronde coronat.
Thure calent arae: resonat ferventibus aether
Votis, dant signa tubae, reboantque per Urbem
Pulveris explosi sonitus: nova gaudia fidis
Pectoribus sese insinuant: novus additus Aris
Et mage dulcis honos: lacrymis simul omnis obortis
Confluit, et sacrum devoto en ordine corpus
Exultans Pastor veteres transvectat in aedes.

CARMEN 14.

In Annaei Senacae Obitu.

Palladis insignem studiis, clarisque nitentem
Moribus, infanda saevo sub Principe mersum
Morte virum, fuerat qui servantissimus aequi,
Nunc canere aggredior. Tragicis non aspera rebus
Adsis ferali lituo , cantuque dolenti ,
Funestasque inter caedes gemitumque cruoremque
Exhorrentem, Melpomene rege numine vatem.
Turbidus horrendis monstris obducitur aer
Egressis Acheronte fero: dira agmina cerno
Et sontes animas, patriam quae sternere letho
Optavere suam: vultu Catilina furenti
Urbis in exitium ferrumque, facesque ministrat:
Antiquis septus furiis ferus arma Cethegus
Sanguinolenta movet, frendensque incendia poscit.
Primus inexpleta rabie Nero turbida torqnens
Lumina sanguineas iras ad funera tollit
Impatiens; mens coeca ruit, quo tristis Erynnis
Extimulant, saevique duces: sic impete caeco
Infrendens movet arma leo: cupidumque cruoris
In medios rapit ira greges, taurosque, ferasque.

Extulit Infelix septem de collibus almum
Roma caput: micuere sinus, pavor occupat artus,
Diriguere oculi, saxoque afflicta resedit.
Pectore sed firmo malesani Principis ausis
Restitit Annaeus; pronamque in crimina mentem
Ut sistat, prudens dictis sapientibus urget.
Exarsere ignes animo: tumidumque Tyrannum
Incitat, ignitos intorquens crinibus angues
Tisiphone, et stygias fixit sub pectore taedas.
Tum vero ingeminant irae; flamma addita flammis
Horrendus sine more furit: sic turbidus infit.
Scilicet hic nostros audax effugerit enses
Et fratrem, Matremque meam, civesque potentes
Infando dederim letho, vir hic unus habibit ?
Non ita: non adeo sunt fractae ad funera vires.
Vade age, commoto quam sensi pectore flammam
Me juvat hanc explere, senem fera mitte sub Orcum.
Hic successu, animisque tumens Cocytia Virgo
Protinus os, habitumque, et militis induit arma:
Annaei obsedit limen, fera jussa Tyranni ,
Immanesque viro forti denunciat iras.
Tunc exauditi gemitus: tristesque sodales
Ingenti casu, ceu afflati fulminis alis
Obstupuere: dolor ferus ilicet intima subdit
Ossa, coit sanguis, vox haeret, membraque nutant.
At non turbatus vultu, non territus heros
Hos ubi perculsos ictu conspexit acerbo
Dulcibus alloquiis solatur, et anxia firmat
Corda: quid insano tantum indulsisse dolori
Quid lacrimas fudisse juvat? quae dona magistro

Sanguine pollutum monstrum majora rependat?
Jam vitam moror invisam, non funera possum,
Non aequis oculis caedes spectare cruentas.
Ipse manu mortem inveniam: teterrimus hostis
Qui innocui Fratris scelerata caede superbus
Materno immanem foedavit sanguine dextram,
Et delere Urbem flammis, et nectere fraudes,
Et luctu incestare domos, et sternere letho
Insontes properat Cives, cui sola voluptas
Sanguine Romano coecum saturare furorem;
Sanguine laetetur nostro. Mihi dulce sub umbras
Ire, piasque domos: necis illaetabile vulnus
Non animam terret fortem, cui vita peracta
Moribus innocuis, superae haud inimica Minervae.
Vos modo ad antiquam virtutem, animosque viriles
Excitet et Patrum, Annaei et morientis imago.
Dixerat et placido vultu complexus amatam
Consortem thalami, collo dat brachia circum.
Oh mihi luce magis, fatur, dulcissima Conjux
Vive precor, saevasque animi compescere curas
Firma stude, tua fulgeat in contraria virtus
Labentemque animum victrix constantia firmet.
Ast Paullina exosa viri suadentia vitam
Verba, negat sese defuncto conjuge velle
Ducere vitales auras: si dira Neronis
Te jubet ira mori, nostramque exscindere luctu
Efferus ille domum cupit, isti janua letho
Multa patet: vixi tecum, dum prospera risit
Sors nobis, moriarque simul. Sic deinde locuta
Exhilarat vultum, promptamque in funera dextram

Ostentat. Stupet Annaeus: nec fundere fletus
Turpe fuit, gaudet lacrimis et vivida virtus.
Nec mora, ferrum corripiunt et vulnere venas
Exsolvere pari. Annaei tardante senecta
Sanguis hebet, lento et motu fluit: hunc mora mortis
Ipsa gravat: mox poplitibus nova vulnera vibrat
Nequidquam: videt interea, nam proxima conjux
Adstabat lateri, fumanti sanguine terram
Irriguam, et multo manantes flumine vestes.
Compressit subito luces, animumque labantem
Novit, et insueto turbari pectora motu.
Hinc subito exclamat: visu te subtrahe nostro
Cara mihi conjux: oculis haec funera firmis
Mortales superat vires spectasse, recedas:
Nunc opus est animis, nunc firmo pectore; tecum
Me teget urna simul, miscebitque ossibus ossa.
Dixit, et alternis inter se amplexibus haerent.
Tum vero Conjux digressu infracta supraemo
Solvitur in lacrimas, dixitque novissima verba
Singultu impediente sonos, et victa dolore
Concidit: ast famuli collapsam in tecta tulere
Altera, non tamen Annaeum mors improba caedit:
Hic laceris adstat venis, mortemque lacessit
Impatiens, hauritque atrum firmo ore venenum.
Ecce subit virus tacitum, gelidosque per artus
Nequidquam serpit, diro nec viscera tabo
Carpit edax ignis: multo vis concidit omnis
Victa gelu: Annaeus turbato pectore clamat:
Difficile est adeone mori, ac abrumpere vitam
Usque adeone virum refugit Dea saeva cadentem?

Pallas adest miserata senem, vasque obtulit illi
Fonte capax tepido, qui laxet inertia membra
Liberet et luctantem animam. Jam corpore manat
Caldior effusus sanguis, liquitque per artus.
Inde manu intrepida, tranquilla et fronte sub astra
Permixtam jecit multo cum sanguine lympham.
Juppiter exclamat, cujus sub numine felix
Roma fuit, domuitque orbem victricibus armis
Romuleas tutare domos, tutare Quirites,
Infandumque caput, nostras qui destruit arces
Atque jugo premit infami sub tartara telo
Conjice, libertas moestis, da, fulgeat oris.
Frigida vitalis sed jam calor ossa relinquit,
Et vires evanescunt, et languida somno
Lumina nox premit aeterno, cervixque recumbit
Prona, caput Pallas dextra sustentat amica,
Egressamque animam sub templa nitentia ducit.
Lampades auratae hic pendent laquearibus aureis,
Sublimi et solio immortalis gloria fulget
Regina, et famam pulchra virtute coruscis
Donat habere viris, vivaxque in saecula nomen.
Huic omnis chorus assurgens gratatur eunti, (dam
Hunc Decii, Fabiique Patres, quosque inclita quon-
Roma tulit, Patriae et pietas, et candida morum
Huic Templo addixit virtus, invictaque bello
Dextera, Pompilius, Furia et de gente Camillus
Et Cocles geminusque Cato dignantur honore.
Hunc serto decorant insigni, et grandia gesta,
Divitis et mentis praecepta, animique virilis
Incidunt ebori decus, ac infame Neronis
Flagitium, ventura omnis quod abhorreat aetas.

ELEGIARUM LIBER

ELEGIA I.

In Natali Domini die

Ite gradu celeri Bethlea sub antra Camenae.
Regum magnificos vincitis antra Lares.
Illic mortales veniunt ad Luminis oras;
Hic, qui perpetuos Rex agit axe dies.
Illic lethifera polluti pectora labe,
Hic Rex virtutum, justitiaeque dator.
Illic imbelles homines, queis nulla potestas,
Hic oritur cinctus luce micante Deus.
Insano resonat terrestris Regia plausu,
Vos celebrat dulci carmine diva cohors;
Saepius immanes dant Regia tecta Tyrannos,
Qui redimat Mundum vos datis antra Ducem.
Antra beata Dei sacro fulgentia vultu!
Festino propera Musa sub antra pede.
Invenies puram faecunda in Virgine Matrem,
Invenies Puerum, quem fovet alma sinu.
Aurea caesaries quanto splendore coruscat!
Quantus divino prominet ore decor!
Aestivum superant renitentia lumina Solem,
Ornat mixta rosis alba ligustra genas.

Stat labiis risus, labiis stat grata venustas
  Alpinam vincunt membra tenella nivem.
Oh quot pervadunt miracula grandia mentem!
  Humano indutum tegmine Numen adest!
Cingitur immensum misero velamine Numen
  Atque arctae cohibent brachia fasciolae:
Corripitur rigido glacialis frigore brumae,
  Crebrae lacrimulae sacra per ora fluunt.
Nunc jacet aethereus pungenti in stramine Princeps,
  Quem tepido flatu bos, asinusque fovent!
Quis te magne Puer superis demisit ab oris,
  Atque pati cogit tristia? cogit amor.
Cogit amor majestatem deponere vultus,
  Terrificum fulmen ponere cogit amor.
Oh nox, nox quocumque die felicior almo
  Nox bona, qua diri criminis horror abit.
Quae stygias frangit vires infernaque tela
  Nox, quae captivis barbara vincla terit.
Verus hic est Moses populi servator amici,
  Qui Pharii regis castra, caputque domat.
Limina qui dulcis Patriae felicia pandit,
  Vitae ubi perpetuos donat habere dies.
Cujus diva undas suspendit dextra minaces,
  Numine propitio qui mala nostra levat.
Nox jucunda meis oculis, quae gaudia menti
  Praebes, nox altis usque canenda modis!
Te votis petii, te votis omnibus unam,
  Quae pellas curas, maestitiamque fuges.
Sed qui jucundus laeto sonat aethere clamor?
  Gloria summa Deo, pax sit amica Viris.

Oh voces, quae laetitia mea pectora complent!
En iterum mundus foedera pacis habet.
Gratia sit superis tanto pro munere; sedes
Aulae caelestis gloria major init.
Exuit en tandem divina Astraea rigorem
Oscula dat paci dulcia munificae.
Exultet tellus coelesti germine felix,
Donarunt supero nubila rore solum.
Aurea nunc redeunt felici saecula cursu,
Et veteres mutat terra polusque vices.
Hoc duce non fallor, virtus expulsa redibit,
Pacatas terras incolet alma Themis.
Incolet et Pietas, fraternaque Cura, Pudorque,
Morumque integritas, intemerata Fides.
Depressae exurgent valles, collesque supini
Sternentur, dulcis trames et omnis erit.
Perque viae anfractus dubios, et opaca viarum
Conficiet recto calle viator iter.
Prospera rursus adest nunc pleno copia cornu;
Omnia nascenti sint operata Deo.
Tempus adest, quo tuta jacent armenta sub umbris,
Nec timet impastos mitior agna lupos.
Tempusadest faustum: vos umbrae exurgite Patrum,
Exoptata dies nuncia pacis adest.
Laeta exurge Syon, festiva tempora fronde
Cinge, micant colles luce beante tui.
Numinis excelsi te felix gloria vestit,
Dira tui colli vincula solve Syon;
Laetantique animo de immundo pulvere surge,
Aurato et laetum tegmine cinge sinum.

Rex venit, imperium cunctas qui extendet ad oras,
Omnis cui flectet subdita terra genu.
Aethiopum Reges properant, Arabumque potentes,
Huc mittent magnos regna Sabaea duces,
Multiplici ut decorent supremum munere Regem
En illos alto sidus ab axe vocat.
Vade age, Musa, celer Bethlei tecta sub antri
Et summum digno carmine tolle Deum.
Pluraque cum dederis divinis oscula plantis,
Cor magni in pueri pectore conde meum.

ELEGIA II.

De Adventu Domus Lauretanae

Piceni exultent colles, et carmine grandi
Felix Adriaci littoris ora sonet,
Tuque prior plausu ingenti pia Ricina cantus
Extolle, atque hilari gaudia carpe sinu.
Non tibi divitias argenti pondus, et auri,
Mortales et opes quaerere cura subit.
Non terrestris honos rutilis te amplectitur alis,
Neve caduca agris gloria parta tuis.
Nunc te aeternus honor, divinaque adorea cingit,
Nunc aetra et tellus luce beante micant.
Tolle oculos, animum suspensum tolle sub astra,
Vecta per aethereas limina cerne vias,
Transvecta angelicis felicia limina ab ulnis,
Limina pacato flamine culta Notis.

Adriaci placidae sternuntur marmoris undae,
Et dulci fremitu limina tanta colunt,
Et muti celebrant praesentia limina pisces,
Contactuque sacro purior aura nitet.
Tolle oculos, animumque: polo delabitur Aedes,
Occupat et colles Ricina clara tuos.
Nunc pede festivo properi occurramus ad undam
Devotosque animos excitet alma Fides.
Multiplici sacros oneremus munere postes,
Maxima quae fervens munera donet amor.
Salve augusta domus Summo dilecta Tonanti,
Inclita coelesti facta Parente domus.
Quae tacite illabens demulcet corda voluptas,
Quos divos ignes Spiritus intus alit!
Deficiunt fragiles sublimi in limine sensus:
Lumine ab aethereo mens mea fracta cadit;
Hic mihi nunc videor cantus audire beatos,
Cernere et aligerum plectra movere choros.
Zaphiros muri vincunt, viridesque smaragdos.
His adamas cedit, fulgida cedit onyx,
Oh muri, oh lapides aequantes maenia Coeli,
Oh saxa usque oculis saxa verenda meis!
Templa quid antiqui referam Salomonis, et arcam,
Queis olim fuerat condecorata Syon?
Salve, augusta Domus, Summo dilecta Tonanti,
Inclita coelesti facta Parente Domus.
Hic incendebat votis castissima Virgo
Usque Polum, niveas imbre rigante genas.
Nuncius hic superus Coelo demissus ab alto
Divinum angelico gutture fudit Ave.

Felici assensu vinclis dissolvitur Orbis
   Quae dira infernus fecerat arte Draco.
Hic, hic aeternus foecundat Spiritus Alvum
   Virgineam, et divo pondere Virgo tumet.
Virga hic Iesseae stirpis foecunda superno
   Germine, vitali sparsit odore solum.
Oh quoties Divum Puerum hic complexa fovebat
   Pleno sustentans ubere Virgo Parens!
Hic dape mortali pastus, qui pascit Olympum,
   Fabrile exercens Conditor axis opus:
Hic hyemale gelu modico tepefeeerat igne
   Phoebeum immenso qui replet igne globum.
Oh muri, oh lapides, tetigit quos dextera divûm,
   Oh toties supero limina trita pede!
Oh mihi nunc liceat devotis oscula labris
   Figere, et aeternos hic abitare dies.
Huc omnis properet resonanti Ricina plectro,
   Et grato fundat pectore dulce melos.
Oh fortunati colles, campique beati
   Quos augusta sua munerat Aede Parens!
Oh urbem electam mediis e millibus unam!
   Nulla pari dono natio perfruitur;
Gallia tendebat, tendebat Iberia palmas,
   Tendebant populi, quos rigat Ister aquis.
Europae, atque Asiae precibus ferventibus Urbes
   Hoc petiere bonum, hoc petiere decus.
Tu nostram decoras, Virgo, solaris et Urbem,
   Ricinea haud oculis displicet ora tuis.
Adsis oh clemensque juves pia vota secunda,
   In nostro aeternam littore fige moram.

Haud vitiis umquam nostris te tollat iniquam
  Transferat inque alias ocyor aura plagas.
Suscipe devotos tibi quos libamus honores,
  Hic hic te populi dona colentis ama.
Quis paveat nimbos, tempestatesque furentes,
  Quis timeat cedes, quas dat acerba lues?
Quis terrae horribiles motus hostesque minaces,
  Littora si divo Numine nostra tegis?
Mille hinc dependent clypei, felicia scuta:
  Oh felix, tanta Matre tuente, solum!
Te propter citius Domini placabitur ira;
  Haud Deus hac nostras spernet in aede praeces.
Salve augusta Domus, summo dilecta Tonanti
  Inclita coelesti facta parente Domus.

ELEGIA III.

In Pii VI. Pontificis Maximi Obitu

Praecipe, Melpomene, tristes mihi praecipe cantus
  Atque in lugubres sit lyra versa modos.
Ecquis supremi fatum Pastoris acerbum
  Excipiens, moestis temperet a lacrymis?
Quem Tibris extimuit, quem demiratus et Ister
  Proterit immiti gens furibunda pede.
Nonne satis fuerat tranquillum invadere Regnum,
  Nonne satis fuerat tot spoliasse bonis?
Heu ubi pacta Fides? quid pacis foedera prosunt?
  Irrita sunt Gallis foedera, nulla Fides. (1)

(1) Tunc temporis

Fulgenti Solio depulsum, et milite cinctum
  Primum tranquillis excipit Arnus aquis.
Nec tua te pietas, sacra te non infula texit,
  Non flexit duros longa senecta viros.
Plagis heu diris aegros vix sustinet artus,
  Difficilesque tamen cogitur ire vias.
Vi jussus migrare, Padum transire coactus
  Infausta ad Rhodani littora pertrahitur.
Alpibus immensis transgressis, arripit Almum
  Sacrilegis manibus Gallia iniqua Patrem.
Italia hunc sequitur saevis exercita curis,
  Frustra pallentes imbre rigante genas.
Praecipe, Melpomene, tristes mihi praecipe Cantus
  Atque in lugubres sit lyra versa modos.
Vidi ego confectum senio, diroque gravatum
  Morbo perpetua condere nocte diem.
Vidi ego perfusus lacrymis exangue cadaver:
  Mortis ut indignae victima procubuit!
Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
  Orbis quem coluit Tybridis unda Caput:
Qui prius insignis gemmis fulgebat et ostro,
  Hostili periit pauper et exul humo.
Sic placitum fatis, sic tu, mitissime Princeps
  Funus in indigna terra obiturus eras.
Praecipe, Melpomene, tristes mihi praecipe cantus
  Atque in lugubres sit lyra versa modos.
Cunctis ille bonis heu flebilis occidit; usque
  Pastorem lacrymis ingemit alma Syon.
Incorrupta Fides nigris circumdata vittis,
  Relligio, et Pietas, et Themis aegra dolent.

Quaeque suo comites lateri discedere nunquam
  Ausae, nunc solvunt fletibus inferias.
Quid meminisse juvat tot mundo illustria facta?
  Tot dotes animi quid memorasse juvat?
Heu dolor, heu pietas! uno cuncta abscidit ictu
  Mors fera, nil est quam pulvis et umbra Pius.
At mihi spes suberat, solamen dulce dolentum,
  Te Pater, in solium posse redire tuum;
Post saevos nimbos, tempestatesque furentes
  Posse in tranquillo littore pace frui.
Tristes, Melpomene, tristes mihi praecipe cantus,
  Atque in lugubres sit lyra versa modos.
Explesti nigram rabiem crudelis Erynnis,
  Perdidit augustum dextra maligna senem.
Perdidit! ah mendax animum deludit imago.
  Aspice ut aeterno lumine amictus adest.
Candida gemmifero redimitus tempora serto
  Immensi spolium dulce decoris habet.
Jamque iter emensus post tot discrimina vitae
  Tantae virtutis praemia digna capit.
Tristes, Melpomene, tristes modo desine cantus,
  Et mihi festivum det lyra grata melos.
Fatales arcus, frangat mors imbroba telum,
  Vita perfruitur nobiliore Pius.
Carcere disrupto superas contendit ad oras,
  Concinit et laudes terra, polusque suas.
Quam fuit insignis summae constantia mentis!
  Tristia quam forti pectore fata tulit!
Quaeque Orbem vicit fraude, et fatalibus armis
  Longaevum haud potuit perdomuisse Virum.

Ut sceptro, famulisque carens sibi sufficit unus,
Unum pro multis devovet ipse caput.
Ne sua gens pereat Princeps ut laetus obivit!
Dat vitam, ut caro pro grege Pastor amans.
Ergo absint lacrimae turpesque a funere luctus,
Quisque Pii gaudens pulchra trophoea canat

ELEGIA IV.

De SS. Nomine Jesu

Nomen dulce, potens, sanctum, et venerabile Nomen
Concutit ingenti quod nigra stagna metu,
Quod dulci aligerae cithara, cantuque cohortes
Tollunt, unde Viri grande levamen habent!
Nil mage jucundum, nil est perfectius illo,
Hoc celebra dignis Calliopea modis.
At prius impuros Pindi obliv iscere rivos,
At prius obsequio fervida flecte caput.
Jesu! Permulcet quae dulcis corda voluptas!
Jesu! Quid celsum, quid grave mente sonat!
Non est hoc magni non est hoc nominis umbra,
Hoc est humani certa salus generis.
Nomen id aeterno Genitor praefixit ab oevo
Quo nati pateat gloria digna sui.
Audiit hoc Virgo Famuli Coelestis ab ore:
Audiit, excelsum nomen honore colens.
Hoc, hoc quid fausti totis portenditur oris:
Numinis hoc Genitus nomine loetus erit.

Roma superba, viros falso dignaris honore,
Dum Natis indis nomen inane tuis.
Magnum Scipiadis eversa dat Affrica Nomen,
E Numidis nomen grande Metellus habet.
Creticus e victa Creta qui dicier ardet,
E domito Illiricus qui cupit Illirico.
Quid referam plures, queis maxima gloria fulsit,
E victis nomen dum retulere plagis?
Quod decus at magnum per strages quaerere nomen
Fulget quae e caesis inclita fama viris?
Infame est fuso petitur quod sanguine Nomen.
Victorem aeternat, barbariemque feram.
Jesu! Tu pacem, tu divo munere vitam
Confers, auspiciis das bona cuncta tuis.
Non aliud Nomen Coelum mortalibus aegris
Unde habeant laeti gaudia vera, dedit.
Jesu! coelestes replet hoc solamine mentes
Hoc dulci sensu corda superna beat.
Jesu spes hominum! per te sua fulmina ponit
Jam jam plexurus crimina dira, Pater.
Per te cuncta Viri ferimus bona: nil negat ille
Nostro quando tuum Nomen in ore sonat.
Dat menti lumen, coelesti concremat igne
Pectus, condonat corde volente scelus.
Jesu! te audito placantur marmoris aestus
Metiturque atrum Navita tutus iter.
Per te grando fugam, tempestatesque furentes
Exitium terris dum meditantur, habent.
Si funesta lues mortali noxia tabo
Nos premit, audito te fugit illa procul.

Febres indomitas, dirosque a corpore morbos,
Tu belli strepitus, tu mala cuncta fugas.
Jesu ! si tristi trepidat formidine pectus,
Te resonante, cito spes redit alma pede.
Si cura insomnis stimulis cor scindit amaris
Pectore ab afflicto cura recedit atrox.
Tramite si in dubio ferimur per opaca locorum,
Dum sonat hoc nomen, semita certa patet.
Si nos invadit trepidantes perfidus hostis,
E manibus diris protinus arma cadunt.
Jesu! tu vires Orci, fraudesque malignas
Frangis: nil per te dira venena nocent.
Te audito immanis pallescunt agmina Averni,
Et repetunt tristes ore fremente domos.
Jesu! dulce, potens, sanctum, et venerabile Nomen!
Tu mihi spes grandis, tu mihi certa salus.
Hybleisque favis nostro tu dulcius ori
Pectoris una quies, dulce et in aure melos.
Te labiis, animoque loquar, dulcissime Jesu,
Vivens; te vita deficiente canam.

ELEGIA V.

Versio Cantici

BENEDICITE etc.

Dextrae opera aethereae, divinam tollite dextram,
Dulcisonans hymnus tempus in omne sonet:
Angelicae turbae, Coeli quae regna tenetis
Sublimem auctorem concelebrate Lyris.

Tollite aquae, Domini quas virtus aethera supra
Sustulit, insigni tollite voce Deum.
Tu, qui perlustras radianti lampade terras,
Sol; tu luna micans noctis amica comes,
Vos, quae coelestes ornatis sidera gyros,
Vos dulces imbres, vos canite usque Deum.
Flamina, vos diro perflantia murmure terras
Devoto excelsam tollite corde manum,
Vorticibusque suis ignis, frigusque molestum
Extollant Dominum cana pruina, gelu.
Et glacies, brumaeque, nives, noctesque, diesque,
Aurea lux, tenebrae, fulgura, grando sonans
Dextrae opera aethereae divinam tollite dextram,
Dulcisonans hymnus tempus in omne sonet.
Et Dominum tollat resonanti pectine tellus,
Solers Auctori plaudat et usque suo.
Excelsi montes Domino, collesque virentes
Plaudite, quae molli crescit et herba solo.
Irrigui fontes, immensi ac aequore fluctus,
Extollat superum fluminis unda Patrem.
Marmora quique habitant pisces, et grandia Cete,
Quaeque plagas coeli pervolitatis aves,
Sylvicolaeque ferae, pecudum vos agmina laeta
Mecum una superum concelebrate Deum.
Tuque prior Soboles hominum, sublimis imago
Numinis, ex hilari carmina funde sinu.
Israel, excelsi Domini quem dextra tuetur,
Quem fovet et nutrit, quem fero ab hoste tegit.
Vos, vos felices Domini, templique Ministri
Grata pulsetis plectra, Fidesque manu.

Justorumque animae virtutis tramite laetae
  Pectore vos humili texite serta Deo.
Vos pueri, fidos Babilon quos destinat igni,
  Illaesi flammis Numinis auxilio.
Eja omnes omnes Patrem Natumque Potentem
  Tollamus; laus sit, Spiritus alme, tibi.
Dextrae opera Ethereae divinam tollite dextram,
  Dulcisonans hymnus tempus in omne sonet.

ELEGIA VI.

De D. M. Magdalena ad Christi pedes jamjam itura

Quid mihi vobiscum est vitae instrumenta nefandae?
  Vos odi; oh animi damna luemque mei.
Ite procul, justas et visus suscitat iras,
  Fallere me rursus quaeritis? ite procul.
Tempus triste fuit, vesano capta furore
  Cum me praecipitem crimen in omne dedi.
Perfusasque comas nardo, myrrhaque madentes
  Ornatum et gemmis juvit habere sinum,
Intextasque auro vestes, mitramque decoram
  Deperii incautis retia certa viris.
Oh pudor, atque dolor! flavos componere crines,
  Fucare et vultus unica cura fuit.
Ite procul, non ludetis mea pectora pompae
  Posthac: in culpas est cecidisse satis.

De me at quid Solymae, quidnam Judaea loquetur?
Urbs carpet mores invida facta meos.
Mens labat: et tacito sensu mea corda voluptas
En iterum stimulat, blandaque vulnus alit,
Carpitur et coeca flamma cor: perdere durum
Quas praedas vafris artibus ipsa tuli.
Non me blandiloqui cingent denso agmine amantes,
Amplius haud laudes inclita forma feret.
Ergo ego praemoriar, felici extinguar in aevo?
Hanc vitam amplecti cura senilis erit.
Dum viret efflorens juvenili in corpore robur,
Ridendum, laetis vitaque danda jocis.
Quid loquor, aut ubi sum? vitae mens conscia dam-
Crimina: Me Jesus vultu, animoque trahit. (nat
Oh vox! Oh oculi! dulci vos pectora telo
Figitis, et puro carpitis igne sinum.
Unum te amplectar, fervens tua jussa facessam,
Jam servum vitii pectus habere pudet.
Te sequar. Oh utinam non dedignere dolentem,
Te sequar aeternae dulce salutis iter.
Tu fer opem miserae, coelo cui summa potestas,
Venisti amissas quaerere Pastor oves.
Perdere me poteras inopina morte scelestam;
Sed servata tibi, gloria major ero.
Non me perterrent poenae, non dira flagella,
Non me quae flammae corda scelesta manent.
Sum rea: si justa pendas mea crimina lance,
Me miseram! in poenas non satis una forem.
At me vincit amor: divo dum digner amore,
Poena urat pectus quaelibet atra meum.

Ite procul vitae foeda instrumenta nefandae,
  Unus in hoc Domini pectore regnat amor.
Me, me amor impellit. Veniam, dulcissime Jesu,
  Non tu rejicies pectus amantis amans.
Vos oculi edocti funestos ossibus ignes
  Injicere, aeterno fonte rigate pedes.
Ite oculi in lacrimas, moerens dum desinat humor;
  Rore eat ex oculis deficiente cruor.
Et crines myrrha madidos rea vincula amoris
  Dissolvo, passi colla per aegra fluant.
Insignes vertam lugubri tegmine vestes,
  Quod castis vittis ornet, ametque Pudor.
Vexabo sontes duris calcaribus artus,
  Haec sunt deliciis praemia digna reis.
Haec labia officiis nimium detrita protervis
  Infigent plantis oscula pura tuis.
Et cor, cor divo tantum solvetur amore
  Quod prius impuris ignibus esca fuit.

ELEGIA VII.

Versio Psalmi LXXXIII,

QUAM DILECTA TABERNACULA TUA

Quam dilecta domus, jucundaque regia, summus
  Regnat ubi cinctus luce micante Deus!
Deficit, alme Pater, mira dulcedine raptus
  Spiritus impatiens, dum tua tecta cupit.
Cumque meae pandis felicia limina menti,
  In te cor trepidans, membraque subsiliunt.

Passer, turtur habent ponant ubi pignora, nidum:
  Ara tua ast animo fit domus una meo.
Felices animae, sublimi in sede manentes
  Extollent laudes tempus in omne tuas.
Ille vir, oh felix, si quem tua dextra tuetur
  Ardua felici tramite regna petet.
Hic virtute nitens majorem fervidus optat,
  Ut mundo crescat, crescat et inde Polo.
Huic aderit, terras firma qui lege gubernat,
  Huic superi pandet Numinis ora Syon.
O Jacob Deus alme, Deus virtute refulgens,
  Clementi nostras accipe corde preces.
O tu qui Judae tutaris numine Gentem,
  In Christi faciem lumina verte tui.
Quid quaeram turpes scelerata labe catervas?
  Mille super diva in sede stat una dies.
Abjectam Domini in Templo volo ducere vitam,
  Quam colere injusti tecta nefanda viri.
Et pius, et verax Deus odit crimina, ab ipso
  Gratia, pax animi, gloria mi dabitur.
Tu donis cumulas expertes crimine mentes,
  Vir felix, cujus spes es, et una salus.

ELEGIA VIII.

In Corporis Christi solemnissimo die

Nunc, Rex alme, tuis humiles advolvimur aris,
  Corpus ubi nobis grata fit esca tuum.

Christiadum resonent festivo carmine Templa,
Christiadum fundant agmina dulce melos.
Hic ubi, delapsae renitenti ex axe cohortes
Coelesti pulsant aurea plectra manu.
Quae gens tam grandis, quae tanto munere felix
Inclusum infirmo pectore Numen habet?
Numen adest, tegitur Numen sub imagine panis,
Praebeat ut nobis gaudia, Christus adest.
Cor dulci trepidat motu; mens concita gaudet,
In superum exultant corpora et ipsa Patrem.
Christus adest qualis, quantusque refulget in Axe,
Non oculos fallit frugis imago meos.
Quid Manna antiquum referam, quod Patribus alto
Demisit priscis providus axe Deus?
Corporibus tribuit defessis manna levamen,
Qui at mortis fugeret spicula, nemo fuit.
Hic animas recreat cibus, hic et munera vitae
Porrigit: accedat quilibet optat opem.
Aeternos agit iste dies, ac robore firmo
Conteret inferni tela cruenta Ducis.
Hac dape divina pastus quis palleat hostes,
Quis timeat dubias axis inire vias?
Tutus ad excelsi contendam culmina mentis,
Divino fultum robore pectus erit.
Sumite nunc citharas, jucundaque tympana, laudes
Numinis haud tenui carmine quisque canat.
Sternite flore vias, Patrique occurite summo,
Festiva laetas cingite fronde domos.
Poscite divinum auxilium, vos poscite pacem,
Cuncta dabit vobis munera larga manus.

Sed procul a Diva facie, procul este prophani;
  Non colit, irritat turba prophana Deum.
Munera quae fundit, vibrat quoque fulmina dextra,
  Sontes non donis munerat, igne ferit.
Poscite sed lacrimis veniam, detergite crimen,
  Molle cor ad timidos usque habet ille reos.

ELEGIA IX.

De Divo Francisco Saverio
Dum Christi Immaginem amisit, et per Cancrum recuperavit

Musa fave: summus dicendus versibus Heros.
  Quis neget insigni carmina Saverio?
Musa fave, audaces neve expalesce volatus,
  Nam tibi propitiam porriget ille manum:
Nec celebrare mihi est immensos cura tryumphos,
  Nec stygis invicta monstra fugata fide.
Illius extollant virtutes carmine vates,
  Uberiore animo maxima gesta canant.
Aspice, ne timeas, furiosis aequora ventis
  Concita, ut ex imis fervet arena vadis.
Undique terribili coelum tonat omne fragore,
  Et praesens terret mortis imago viros.
Non secus intumuit violento turbine Pontus
  Dum Jonas Ninives littora diffugeret.
Ipse tamen placido mulcebat lumina somno
  Cum pavidos nautas angeret unda furens.

Parcite Coelestes, tantos compescite fluctus,
  Puppis enim Vatem non habet ista reum.
Saverium fert ista novas Orientis ad oras,
  Numinis optantem jussa colenda sequi.
Saverium fert ista, sacro qui accensus amore,
  Immenso divum sparget in orbe jubar.
Dentibus infrendens nigrum remeare sub Orcum
  Cogetur saevi Ditis iniqua Cohors.
Impia sacrilegis hic franget numina templis,
  Queis stolidae gentes plurima thura dabant.
Intemerata fides regnis consurget eois,
  Hic niveos mores, sacraque jura feret.
Parcite Coelestes: insanae concidat undae
  Impetus, placidum per mare tutus eat.
Quid loquor, aut spero? stridet furibunda procella,
  Crescit et horrendi saevior ira maris.
Saverius laeni somno non irrigat artus,
  Plurima sed fundit vota, piasque preces.
Stat celsa in puppi securo pectore; Jesu
  Ferventi haud dubiam voce precatur opem.
Imperat hic ventis, tumidis hic imperat undis:
  Inquit, et insani corruet ira freti.
Infernas agnosco artes, stygiumque furorem,
  At Domini jussu concidet iste furor.
Elevat inde manum intrepidus, signumque salutis,
  Ut fluctus Jesu comprimat effigies.
Hei mihi! dira ferit puppim violentior unda,
  Et sacram effigiem disjicit e manibus.
Hei mihi! Franciscus pallescit imagine rapta,
  Opprimit atque ingens anxia corda dolor.

Vix Christi Effigies convulsum contigit aequor
 Terribiles aestus comprimit orta quies.
Saverius tristi curarum at vortice pressus
 Aestuat, et moestis fletibus ora rigat.
Care Pater, clamat, mea lux, mea gaudia, solus
 Qui mihi perfugium , dulce levamen eras;
Posthac haud potero divinum cernere vultum,
 Oscula nec plagis plurima ferre tuis ?
Non ego devota meditabor vulnera mente
 Nec latus, hasta ferox qua sibi fecit iter ?
Non terebrata feris cernam sacra tempora dumis:
 Perpetuo in luctu meus mea semper erit.
Amplexu divulsa tuo, dulcissime Jesu,
 Pressa metu horribili pectora nostra labant.
Quid vitam infelix duco? quid demoror Orcum ?
 Triste est, te amisso, vivere, dulce mori.
Oh inter vastas utinam nunc aequoris undas,
 Oh oculis ferret se tua imago meis !
Illuc ... sed moesto jactanti has pectore voces
 Impulsu leni mota videtur aqua.
Et pede multiplici Caucrum videt ille tenentem
 Amissam summi Numinis effigiem.
Laetitia micuere sinus, vocesque, manusque
 Tollit: en clamat spes mea rursus adest.
Rursus adest: Christi recreat me rursus imago,
 Omnia ego posthac fata subibo libens.
Sic ait, et caram effigiem cordi admovet, ori
 Applicat, hanc laetis irrigat et lacrymis.
Musa fave, excelsam virtutem concine tanti
 Herois, tantum concine prodigium.

Numinis et summi dextramque, animumque beni-
Aude festivis nunc celebrare modis. (gnum
Ejus enim virtus, quae quondam immania Cete
A pelago Vatem jusserat eripere,
Non minus effulget, dum lapsam in Marmoris undas,
Isti per Cancrum reddidit Effigiem.

ELEGIA X.

De Planctu Virginis

Anxia proscindas passos Elegeia crines,
Aegraque moerenti lumina rore fluant.
Non mihi sollicitas poenas, lacrimasque perennes
Tantalidos Niobes dicere cura subit.
Non animum Climene Mater, tristesque Sorores
Abdita populeo cortice turba movet.
Mendaces haec stulta canant deliria Vates,
Versus deturpet fabula nulla meos.
Ite Elegi irriguis perfusi fletibus ora,
Infandi ad Montis culmina ferte pedes.
Hic furit atra cohors, monstrisque immanior ipsis,
Inferna rabie corda scelesta tument.
Infremit Alecto stygiis munita colubris,
Sulphureaque urget pectora iniqua face.
Dentibus infrendet tortor, nudatque lacertos,
Impiaque horrendum dextera anhelat opus.
Arripit immiti laniatum verbere corpus,
Aptat et infami saucia membra Cruci.

Horrcsco referens! Domini palmasque, pedesque
Clavorum diro vulnere transadigit.
Fatale extollit robur; Natumque cruento
Virgo manantem flumine moesta videt.
Anxia proscindas passos Elegeia crines,
Aegraque moerenti lumina rore fluant.
Quis tibi tunc Virgo cernenti talia sensus?
Quae luctum poterit lingua referre tuum?
Erigit illa oculos, obtutuque haeret in uno,
Suffulta invicto robore Mater adest.
Innumeras tacito meditatur lumine plagas:
Datque animo tales, ore tacente, sonos.
Nate, meae vires, aegrae spes unica Matris,
Indignae gentis praeda cuenta cadis!
Heu tua pungenti terebravit tempora serto!
Te infami letho perdit iniqua Syon.
Oh mihi si liceat laceros amplectier artus,
Oscula vulneribus pluraque ferre tuis!
At non transfixa fluidum de fronte cruorem
Tergere, non animam colligere ore datum.
Occidis heu fili! monstris data praeda malignis,
Dilaniant avidi viscera nostra lupi.
Anxia proscindas passos Elegeia crines;
Non intermisso lumina rore fluant.
Cernit inexhausto pressum moerore parentem
Natus: fitque dolor saevior intuitu.
Tormenta hinc prolis Matris cruciatus acerbat,
Haec graviora, magis prole dolente, subit.
Immane hinc misero stridet sub pectore vulnus,
Heu fatale nimis vulnus, amoris opus!

Ingenti Virgo moerens convellitur aestu,
Concussoque animo non datur ulla quies.
Saevus amor, laceratque animam, conditque sub imo
Pectore crudeli fortia tela manu.
Hic duros clavos, sentes hic figet acutos,
Mollia sanguineo verbere corda terit.
Funibus intortis adstringit, felleque mergit:
Vocibus hic diris turba nefanda fremit.
Quolibet in fato verax amor aequat amantes ,
Hinc quae fert Natus corpore, corde tulit.
At fera non refugit dirae convicia gentis,
Haud refugit nati funera acerba sui.
Illa stat intrepido vultu, lacrimasque perosa,
Curarumque gravi turbine pressa viget.
Ingentes frangit motus constantia mentis,
Acrior in lucta gliscit at inde dolor.
Unda ut clausa furit subjectis concita flammis,
Pressus sic moeror pectora Matris agit.
Impete at in tanto numquam mens certa movetur,
Ut rupes adstat firma furente freto.
Anxia proscindas passos Elegeia crines
Non intermisso lumina rore fluant.
Cor divae matris conflictus scindit acerbus,
Barbara dissimilis praelia miscet amor.
Urget amor Nati, poenasque afflicta perhorret,
Urget amor nostri, fataque Prolis amat.
Hinc amat, hinc odit, quaeritque, fugitque dolores
Nati, funestas perpetiturque vices.
Heu amor, heu dolor, heu feraque certamina in uno
Corde! quis in pugna denique Victor erit ?

Vincit amor nostri: natum atrae destinat arae
   Fortior Abrami robore prompta manet.
Jussis paret ovans superis: mirabile dictu!
   Quae et matrem perimit, postulat ipsa necem.
Inclita proh virtus! optatam denique palmam
   Exultans duplici morte triumphus habet.
In Cruce dum periit lacerato corpore Proles
   Corde simul moritur sub Cruce moesta Parens.
Bina hinc aeternum placat pia victima Patrem,
   Humanum redimit victima bina genus.
Vos Elegi tristes confectam cernite Matrem
   Exanguem in gremio cernite Progeniem.
Heu dolor, heu pietas, heu crimen! plura profari
   Non queo: tu votis annue Virgo meis.
Sanguineo confige, precor, mea pectora telo,
   Saucius ut tecum nocte dieque fleam.
Tu mihi sis Genitrix: horres a dispare nato?
   Ultima sed prolis jussa fuere tuae.

ELEGIA XI.

Abigail Davidi

Siste gradum, Princeps invicte, et pectoris iram
   Caetera qui nosti vincere, vince tuam.
Ante tuas plantas Nabal stat flebilis Uxor,
   Ne perdat sontem debita poena Virum.
Ille quidem male gratus, et ad tua munera surdus,
   Quam dare debuerat, ferre negavit opem,

Evomuitque atras insano gutture voces:
  Te, et servos lesit lingua proterva tuos.
Erravit, fateor; tu justa accenderis ira:
  Quaeque suis veniet poena minor meritis.
Pervigil armato texisti milite campos,
  Quosque invadebat barbara turba greges:
Non bene apud Nabal stetit hujus gratia facti,
  Heu cognosce virum mente carere meum.
Oh utinam praesens danti tua jussa fuissem,
  Ante tuos oculos non rea serva foret.
Parce precor, princeps invicte, et pectoris iram
  Caetera qui nosti vincere, vince tuam.
Tu miseros relevas Rex fortis corde benigno,
  In densas acies ut tibi firma manus.
Iratum superare animum, cohibere furorem,
  Quam fregisse hostes gloria major erit.
Cor pavet admonitu, cum vertice sidera pulsans
  Angeret armipotens agmina nostra Gigas.
Monstrum horrendum, ingens crispans hastile mina-
  Dextra, fulmineo cinxerat ense latus. (ci
Sublimem quassans frontem ad certamen iniquum
  Urgebat nostros voce minante duces.
Gens Haebrea inviso oneri submittere collum,
  Et dare captivos ad fera vincla pedes.
Tam miseris instabat ineluctabile fatum,
  Conciderat animo cum duce turba suo.
Sollicitae curae, funesta et mortis imago
  Terrebant pavidos nocte, dieque viros.
Pectore tu invicto rebus solamen in arctis
  Accedis, pugnam quaeris et intrepidus:

Dumque omnes pallent, gladium galeamque recusans,
   Infandum monstrum sternere caede paras.
Et saxum vibrans funda, ardua tempora caedis,
   Deque tuo nobis robore parta quies.
Excussere omnes gelido de corde timorem:
   Personuit toto nomen in orbe tuum.
Vidimus undantes inimico sanguine campos,
   Millia multa tua caesa fuere manu.
Parce, precor, Princeps invicte, et pectoris iram,
   Caetera qui nosti vincere, vince tuam.
Te Saul insontem, tanta et virtute nitentem
   Insidiis voluit perdere saepe suis.
Tristis, inops erras infenso a Rege: tuetur
   Et tua, cum possit caedere, dextra caput.
Hostibus excellens est parcere gloria: fortis,
   Atque animi virtus enitet inde magis.
Sternere quid prodest acies, saevosque Gigantes,
   Hinc animum valeat ni regere ipse suum?
Parce, precor, lacrimisque meis, et flectere votis,
   Pronum sic habeas in tua vota Deum.
Da veniam miserae, si non vis parcere; saltem
   Ante tuo conjux caesa sub ense cadat.

ELEGIA XII.

Originalis Culpae Effectus

Quis lacrimas cohibere potest, dum mente revolvit
   Primi hominis crimen, damna quot intulerit?

Laetus Adam donis regnabat dives opimis
 Integer ipse animi, corpore et ipse valens.
Justitiae ingenitae felici veste nitebat,
 Atque illi fuerat noscere cuncta datum.
Ver ibi perpetuum jucundis fertile pomis,
 Autumnus vario flore suavis erat.
Sponte sua tellus fruges inarata ferebat,
 Uberibusque agris nulla nocebat hyems.
Non tunc stringebat vitalia stamina Parca,
 Aeternos poterat quisquis habere dies.
Heu fatale scelus! conversa heu fata! parentem,
 Culpa ac humanum perdidit una genus.
Cuncta mali labes delicto venit ab uno,
 Vita hominum ex illo tempore poena fuit.
Funesto exilio pressos, et pace carentes
 Nos avido expectat mors inimica sinu.
Nos saevi invadunt morbi, nos funera passi
 Mille, putres tandem solvimur in cineres.
Sed majora premunt mortalia pectora damna,
 Dum dubias pugnas spiritus aeger habet.
Cogimur in vetitum diro luctamine, et anceps
 Palma fera in pugna triplici ab hoste manet.
Motibus adversis agimur, ferimurque procella,
 Et cadimus victi ni Deus addat opem.
Obtegimur spissis tenebris, quique omnia norat,
 Heu nunc infelix omnia nescit homo:
Sed prius aut stellas poteris numerare nitentes,
 Quos lapides littus, quas habet aequor aquas.
Quaelibet heu tristi luctu demergitur aetas,
 Et puer et juvenis virque senesque gemunt.

Heu cur nos stultos, falsoque cupidine captos
  Noxius infausti decipit Orbis amor?
Cuncta gravant animam miseram, corpusque laces-
  Nos Mundi pigeat nos trahat Axis amor. (sunt,

ELEGIA XIII.

Absalonis Epistola ad Davidem

Hanc tibi laese Pater tristi de littore mittit
  Impia fraterno sparsa cruore manus.
Perlege, laese pater, nati nec sperne dolentis,
  Quas modo sollicito dat tibi corde preces.
Poenitet heu nimium scelus admississe nefandum,
  Poenitet heu animum dilacerasse tuum.
Effera tam nigri me vexat criminis umbra,
  Et requies animo non datur ulla meo.
Jugiter effractos timor anxius occupat artus,
  Frater et horrendis visus adesse minis.
Exhibet ante oculos trepidos convivia dira,
  Pectoraque a manibus saucia facta meis.
Languida ut obrepit tristis mea lumina somnus,
  Saeva mihi ostentans vulnera Frater adest,
Sanguine foedatos crines, oculosque minaces
  Exanimis frustra, spectraque dira fugo.
Perfide, voce fera conclamat proditus Ammon,
  Perfide delicti poena sit ista tui:
Usque tuis oculis adero, noctesque, diesque
  Dum pavido infelix vita superstes erit.

Explesti indignum fraterna caede furorem,
  Sed gravius Patrem perdidit iste furor.
Nec tibi tam dirum volventi in pectore crimen,
  Occurrit tenera voce parentis amor?
Dextera crudelis, quae dum me funere mergit,
  Molle tuo augusti cor Patris ense feris.
Aspicias utinam quae sit Genitoris imago,
  Poena Patri misero mors foret ipsa minor.
Improbe da poenas: furiis agitaberis atris
  Ni culpae patris dextra relaxet onus.
Exige, laese Ammon, crudeles exige poenas
  Deleri fas est sanguine culpa meo:
Aut tu de tanto, Genitor mitissime, luctu
  Natum solve, tuos qui gemit ante pedes.
Morte mihi est animus funestam abrumpere vitam,
  In me Ammon poterit nec ferus esse diu.
Ni te permoveant lacrymae, saevique dolores,
  Auxilium misero si mihi ferre neges;
Si datur optatam patriam, dulcemque Parentem
  Cernere, tunc vitae stamina Parca legat:
Ante tuos oculos poenas cum sanguine solvam
  Excipiamque hilari tela paterna sinu.

ELEGIA XIV.

De S. Maria Egyptiaca

Qui mutata videt culpis Mariae obruta corda,
  Sentiat excelsi Numinis esse manum.

Qua Pharius Nilus foecundas irrigat oras,
Dulcia vitalis limina lucis init.
Reddidit insignem species, et gratia vultum,
Ejus forma fuit mille petita Procis.
Eloquar, an sileam? correpta cupidine pravo,
Effraenique animo per scelus omne ruit.
Non mentem virtus, non Coeli gloria tangit,
Et servum vitii pectus habere cupit.
Scilicet, ut fractis laqueis, queis nexa gemebat
Divinae majus sit pietatis opus.
Viderat Omnipotens pronos in crimina sensus,
Viderat; et praedam destinat esse suam.
Forte huic surgit amor Solymae contendere ad Urbem,
Quo sacram ad pompam plurima turba fluit.
Mercedisque loco dat corpore posse potiri
Quos mare per longum puppis adunca vehit.
Et scelerum demersa luto jam devenit illuc,
Numen ubi acquiret corda, animumque suum;
Ad sacra divini properantem limina Templi,
Haud visa augusta rejicit aede manus
Conatusque omnes in ventum effudit: euntem
Fortius expellit, nec prope adesse sinit.
Tum vero ingenti mentem formidine praessae,
Quae valida haud latuit causa moretur iter.
Huic pudor incendit vultus, et conscia culpae
Mens trepidat: multo lumina ab imbre madent.
Forte fuit juxta divinae Matris imago:
Corruit ante illam, solvitur in lacrymas.
Tunc nigrae scelerum sordes, et foeda patescunt
Vulnera, quae fecit perniciosus amor.

Ingens perculsam mentem circumstetit horror,
Afflictum et lacerat cuspis acerba sinum,
Aspectumque sui refugit: tum lumina figit
Moesta solo, vitae pressa dolore suae.
Obscoenos horret mores, veniamque precatur
Magdali ut ad Christi foemina lapsa pedes.
Nec mora: divus Amor coelestes excutit alas,
Et fluido pennas spargere rore cupit.
Voce simul blanda suspensae personat auri
Protinus in Templum, dulcis amica, veni,
Captiva e manibus stygias perfringe catenas,
Indigna et colli vincula solve tui:
Effuge delicias, per quas tibi fata dabuntur:
Dulcia quae cernis pocula virus habent:
Pax tibi, et omne decus, jucundaque vita, quiesque,
Gaudia manabunt pectore cuncta meo.
Imbre velut flores, his verbis aegra revixit:
Surgit et admovit Templa sub alta gradus.
Et timet, et sperat, properat, tristemque repulsam
Formidat, dubio cum pede signat humum.
Illam divus Amor complexu donat amico,
Ejus et aurata cuspide corda ferit.
Vulnere felici languet: tum coelicus ignis
Attactu leni pectoris ima subit,
Irrigat atque animam dulci torrente voluptas
Qua superi gaudent, et fovet alta quies,
Et placido captam somno complectitur ulnis
Aera per liquidum radit iter volucre.
Est locus umbrosis circumdatus undique silvis
Quem prope Jordanis laeta fluenta rigant.

Hic hominum non facta vides, non vomere tellus
Scinditur; et late prata, nemusque silent.
Huc properat celeri cursu, tum contrahit alas,
Secretas sedes coelicus optat amor;
Sponsae ubi dilectae cordi dulcissima verba
Fatur, ubi complet pectora deliciis.
Tum Maria e somno excutitur, gaudetque tuendo,
Avia coelestis quae loca sponsus amat.
Tum vox auditur gemebundae turturis : illa
Errores turpes nocte, dieque gemit.
Et lacerat spinis, quos ante ornaverat artus:
Unda dat huic potum, praebet et herba cibum.
Ast infidus Amor Mundi atra concitus ira
Funestum pedibus tendere rete parat.
Fallaci et sonitu revocat, neglectaque monstrat
Pocula, et assurgens nunc fera bella movet.
Pectore sed valido divino Numine fortis
Vincit et hanc pugnam pulchra corona manet.
Vos nemora, et laetae sylvae, campique silentes
Dicite quas curas pertulit illa graves.
Dicite quot poenis laniavit corpus acerbis,
Cernitur haud oculis corpus, at umbra levis.
Sic pio amore calens veterem detrivit amorem,
Atque expers omnis labis ad astra volat.

ELEGIA XV.

Versio Psalmi 126.

Nisi Dominus aedificaverit Domum

Ni Dominus vigili dextra super extruat aedem,
  Deficit artificis frustra operata manus.
Ni Domini fortis custodia muniat Urbem,
  Defendit frustra moenia celsa vigil.
Ante diem vanum de dulci surgere lecto,
  Surgite post requiem, quos fera cura gravat.
Cum dederit placidum dilectis carpere somnum,
  Multiplici his aderit munere diva manus.
Telo velut valido feriunt vibrata lacerto,
  Tale excussorum pignora robur alet.
Vir felix, horum forti qui se agmine fulcit,
  Arduus hostiles nil trepidabit opes.

ELEGIA XVI.

Paraphrasis - De Profundis -

Luctisonas imo fudi de pectores voces:
  Audi propitius nunc mea vota Deus.
Ah oro divina meas non horreat auris,
  Quas tibi sollicito pectore fundo preces.

Si facta expendas rigida mortalia lance,
    Quis non culparum pondere mersus erit ?
Quod tua te pietas, quod te clementia vincit,
    Me tua lex, pietas me tua summa regit.
Invictum tua verba mihi dant dulcia robur,
    Et praebent certae munera grata spei.
Spem gens Isacidum supremo in Numine firmet,
    Sol mare vel surgat, vel juga demat equis.
Novit enim Domini lacrymis mansuescere pectus,
    Et facili rumpit vincula dira manu.
A scelerum duris, cohibent quae barbara Jacob
    Vinclis, dextra potens Numinis eripiet.

ELEGIA XVII.

Versio Cantici - Cantemus Domino -

Solemnes Domino cantemus dulciter himnos
    Ipse equites undis, ipse peremit equos.
Vis Deus est animi, Deus est laus inclyta mentis,
    Cujus magna dedit dextra salutis iter.
Tu mihi Numen eris: dabitur tibi gloria: Patris
    Tu Deus ipse mei; Te pius usque canam.
Ut vir belligerans, cui formidabile Nomen ,
    Delesti currus , et Pharaonis opes.
Electosque Duces lapides velut ima petentes
    Obruit immensis horrida abyssus aquis.

Hostis in exitio splendet tua dextera fortis
  Accedunt fastis agmina caesa tuis.
Dum veluti stipulas acies tua devorat ira,
  Suspensasque furor flamine acervat aquas.
Unda fluens steterat: medias via facta per undas
  Dum dedit hostis atrox ore minante sonos.
Hos sequar, arripiam, spoliis onerabor opimis
  Hosque mea educto conteret ense manus.
Te flante, excussi fluctus; plumbi instar ad ima
  Aequoris horrisoni turba scelesta ruit.
Robore quis firmo fortis tua provocet arma?
  Audax quis dextrae par valet esse tuae?
Te magnum reddit probitas, teque ira tremendum;
  Multaque quem similem mira operatus habes?
Te extendente manum terra illos ima vorabit,
  Semita cum nobis te Duce tuta fuit.
Omnipotens populum vinclis, curisque solutum
  Portasti in terras, vis ubi honore coli.
Jamque Philistaeos acer dolor urit, et Edom
  Reges et Chanaan obriguere Duces.
Quam timor invasit, frendens mox impulit ira,
  Ad fera nos poscit fata scelesta cohors:
Irruat in diras ingens formido catervas
  Fulmina terribili te jaciente manu;
Ut lapis immoti fiant, dum calle quieto
  Transeat in dulcem gens tibi cara locum.
Nos illuc duces, sanctique in vertice montis
  Consita stirps Jacob pace fruatur ovans.
Quaeque tuae fecere manus firmissima praebe
  Moenia: da populo Templa colenda tuo.

Aeternas stabili imperio moderatur habenas,
Regnabit summus tempus in omne Deus.
Mempheos ingressum divisa sub aequora Regem
Militibus cinctum, dum fera vincla parat,
Obruit Omnipotens concusso gurgite, at Israel
Pervenit sicco littora tuta pede.

ELEGIA XVIII.

EPINICIUM

De tryumpho Judith

Dicamus bona verba die, dominoque potenti
Nostris accedat gloria summa modis.
Quis timor immanis nostras invaserat urbes!
Pallebant maestae, morte furente, viae.
Lugebant agri, lugebant tristia prata,
Squallebant foeda moenia nostra lue.
Agminibus diris omnes cum barbarus hostis
Impeteret torrens ut violentus agros:
Ille ira infrendens, cornu postquam arva tumenti
Omnia diruerat, littora nostra petit.
Sperabatque Domos et sacra excindere Templa,
Et vasta Populum perdere caede Pium.
Admovet huic taedas stygias lethalis Erynnis,
Impia et inferno corda furore tument.
Judaeis miseris minitatur ferrea vincla,
Igne cremare urbes, tingere clade solum.

Hei mihi quam tristi micuerunt corda timore,
  Cum visus nostris hostis adesse jugis.
Littoreas numero superabat miles arenas,
  Horribili intentans bella, necemque manu.
Urbi quis posset tantas avertere caedes,
  Quam vexat sitis et terror, et atra fames?
Pallidus assiduis resonabat questubus aer:
  Cara super deflet pignora moesta parens.
Semianimis dulcem sponsum complectitur uxor,
  Culpat et aetatis tristia dona senex.
Jamque animus fuerat portis descendere apertis,
  Et Ducis Assirii triste subire jugum.
Cum velut Aurorae pellit lux alma tenebras
  Sic Judith curas, moestitiamque fugat.
Sublimem exornat coelestis gratia vultum
  Firmaque divino robore corda vigent.
Haec aestu flagrans supero levat anxia corda
  Constantesque facit foemina sola viros.
Grande sinu volvit facinus; populumque fidelem
  Quaerit ut a saevo vindicet exitio.
Dux fere magnanima dextra tibi bella parantur,
  Sacrilego pendes sanguine suplicium.
Hic jacuit domitus bacco resupinus in aede,
  Indigno monstro noxque suprema fuit.
Laeva tenet crines, attollit dextera ferrum:
  Infandum Judith amputat ense caput.
Occidit ille ferox, divûmque irrisor acerbus
  Occidit informi sanguinolentus humo.
Quem non mille Duces, quem non exercitus omnis,
  Vincere foemineae nunc valuere manus.

Diffugiunt acies coeca formidine captae,
Tergoribus capiunt missaque tela suis.
Quam nostro optabant perfundere sanguine: mirum!
Ilicet hostili caede tepescit humus.
Gaude gens Judaea, tibi victoria parta,
En tua sublimis castra tryumphus habet.
Immanem haud timeant Domini sacra templa minan-
Cum Patria en tutus religione Pudor. (tem
Festinate viri: donis onerentur et arae
Multa Deo forti victima caesa cadat,
Ut nostrum fausto defendat Numine regnum,
Ut nostros pacis munere donet agros.
Invictae et Judith animum, dextramque potentem
Grati festiva concelebrate chely.

ELEGIA XIX.

De Chami poena scelus secuta

Huc veniat factis, verbisque procacibus usa
Progenies, Patris cui male spretus honos.
Aspiciat Chamum multatum vindice poena,
Quaeque refert fratrum praemia summa pudor.
Forte ut non notos expressit vite liquores
Arida Noe multo proluit ora mero.
Obrepit tacitae illabens vis ignea sensus,
Caligant oculi, pesque, caputque labant.
Mentis inops cecidit media resupinus in aede,
Nudumque ostendit vestis aperta femur.

Interea multo somno vinoque gravatum
Cham videt, et pungit lingua proterva patrem.
Perfide, non incestum animum pietasque, pudorque
Fraenat? nudati corpora veste tegas.
An semel est periisse parum lethalibus undis?
Anne parum irati Numinis ira ferit?
Quid facis? excedas: non est sine vindice culpa:
Instat delicto poena tremenda tuo.
Est facinus, casu lapsum irridere Parentem,
Omnis et in tantum culpa Patrem scelus est.
Vincit at indignam scelerata insania mentem:
Hinc abit, et fratres evocat inde suos.
Accedunt, lapsumque Patrem, resupinaque cernunt
Corpora: corda dolor tangit, et ora rubor:
Hinc indignantur Fratris convicia foeda,
Et pietas animum, cura, pudorque subit.
Retro incedentes demittunt pallia tergo
Averso vultu, nudaque membra tegunt.
Interea gravis excedit de corpore somnus,
Incertusque animi lumina circumagit,
Seque Noe vidit Natorum tegmine opertum,
Nec patrem facti causa, scelusque latent.
Ilicet in Chamum justa succenditur ira,
Et tristes patrio fulminat ore minas.
Infelix cunctis Chanaan sit perditus oris:
Hunc Fratrum servi sub ditione premant.
Sem, justumque Japhet cunctarum copia rerum
Prosperet: his Patrius fausta precatur amor.
Dixerat, atque reos saevus circumstetit horror,
Decretumque Patris firmat ab axe Deus.

ELEGIA XX.

In Resurrectione Domini

Sat curis, lacrymisque datum: procul este dolores
Nil nisi festivum, nil nisi grande sonet.
Excute sollicitos tristi de pectore luctus
Natura, et plausu, laetitiaque fremas.
Exue te fuscis tenebris, et nocte maligna
Candide sol: terris fulguret alma dies;
Et pontus sternat spumantes turbidus undas:
E nostro excedat barbara cura sinu.
Tunc decuit solvisse in moestos lumina fletus,
Debuit atque ingens scindere corda dolor,
Cum summum diro laceratum verbere Regem
Immani hostilis perdidit ira nece.
Exultent cantuque viae, fremituque secundo,
Nil nisi festivum, nil nisi grande sonet.
En surgit roseis felix Aurora quadrigis,
Et tristem ditat luce beante Polum.
Candidior propera: te votis omnibus unam
Exposcit tellus, expetit alma Fides.
Fallor, an ingenti tremere omnia visa tumultu?
Excutitur vastus, qui tegit ossa lapis.
Procumbit caeca captus formidine miles,
Qui juxta tumulum cuspide cinctus erat.
Insigne extollit devicta e morte trophaeum,
Victor de diro funere Christus adest.
Oh oculis jucunda meis, festivaque imago!
Infernum stringit dura catena ducem!

Qui ferus insidias homini molitus iniquas,
Acri vexavit sub ditione viros.
Infremat, et stygium eructans de gutture virus
Ferrea nequidquam vincula dente premat.
At genus humanum crudeli compede fracta
Victori Domino carmina laeta canat.
Irradiant divo flaventes vertice crines
Hisque tuis cedas, pulcher Apollo, comis.
Candida circumdant sacrum velamina Corpus,
Nunc nunc delapsa candidiora nive.
Majestate micant oculi, vultusque beatus:
Ingens exornat vulnera aperta nitor.
Vulnera coelestis certissima causa salutis,
Quae furor infixit, sed mage Divus Amor.
Vulnera spes hominum, moestis fiducia rebus
Vulnera, quae summi pandidit Axis iter:
Victorem Dominum plectris resonantibus effert
Patrum quae obscuro limine turba venit.
Hanc Abel justus, Noemus servatus ab undis,
Hunc Abram meritis, conspicuusque fide,
Hunc Isac, Jacob, Moses, Davidque sequuntur,
Illius et laudes vaticinata Cohors,
Et clarum celebrant laetanti voce tryumphum
Et dirae mortis spicula fracta canunt.
Concidit infractum telum, falx horrida rupta est:
Nil nisi festivum, nil nisi grande sonet.
Victori circumvolitat pennata juventus,
Et Domino plaudit terra, Polusque suo.
Nos etiam Domini tollamus carmine laudes,
Laetaque festivis insonet aura modis.

Excipe Rex supreme tibi quos reddit honores,
 Quamvis mortali lingua caduca sono.
Effice nos clemens hoc tanto munere dignos,
 Ut mens e vitiis surgat iniqua malis,
Utque reae victor mortis, nil morte pavescis
 Morte ita eductos vita perennis alat.

ELEGIA XXI.

Paraphrasis - Stabat Mater -

Ante Crucem stabat diris exercita curis
 Pendentem Natum dum videt aegra Parens.
Cujus fatali laceravit vulnere pectus
 Ensis sanguineus fortis amoris opus.
Heu quam funesto fuit haec deperdita luctu
 Unica cum proles morte perempta fuit.
Infelix Mater crudeli saucia telo
 Dum trepidans Nati vulnera acerba videt.
Dum Matrem exanimem diva cum Prole dolentem
 Cernunt, quae diro corda dolore vacent ?
Quis non vulnifici gladii persentiat ictus,
 Dum Prolem, et Matrem barbara poena terit ?
Si videt innumero concisum verbere Natum,
 Si videt hunc tristi claudere morte dies,
Quin aliquis curet promptum praebere levamen ?
 Fecere hoc gentis crimina dira suae.

Eja age, coelestis Mater dulcissima Amoris,
  Me, ut tecum illacrymem, vulneret usque dolor.
At dolor, ut summo placeat Genitoque, Patrique,
  Usque meo exurat corda supernus Amor.
Hoc precor, hoc animo posco, lacrymisque profusis
  Corde Almi Nati vulnera fige meo.
Ejus, qui voluit pro me tot ferre dolores,
  Poenas ingentes divide, Mater amans.
Fac ut perpetuos in fletus lumina solvam,
  Dum mihi moerenti vita superstes erit.
Tecum stare opto planctu sociatus amaro
  Juxta feralis robora dira Crucis.
Virgineos inter coetus, clarissima Virgo,
  Fac tecum assiduis fletibus ora rigem.
Fac mea vulnifico discindi pectora ferro,
  Pectora, quae Christi sanguine ubique fluant.
Ne cremer aeternis tenebroso in carcere flammis
  Me, precor, extremo, Virgo, tuere die.
Christe, meae vitae fragili cum carcere solvar,
  Fac laetam ut palmam, Matre favente, feram.
Cum mors abscindet fatalia stamina vitae,
  Mi detur diva in saede perennis honor.

ELEGIA XXII.

De Partus Expectatione.

Nascere, magne Puer, soboles dilecta Tonantis,
  Una salus Mundi nascere, magne Puer.

Aurea lux properat, properat jam lumen amicum,
  Quod tristes luctus, funera et atra fuget,
Quod curas sedet, lacrymasque per ora volutas
  Quod nobis miseris gaudia blanda ferat:
Expectata dies adstat mortalibus aegris:
  Quis velit elapsis ingemuisse malis?
Insidiis rabidus Satan nos pressit iniquis,
  Dum trivere hominum vincula dira pedes.
Lethifero inficiens mortalia corda veneno
  Gaudet et illusa perdere morte Viros.
Excedant stygiae pestes, artesque nefandae,
  Insidiae excedant, diffugiantque doli.
Gaudia fert Infans divus, cui aeterna Potestas,
  Una salus Mundi nascere, magne Puer.
Vulneribus natura vocat te saucia diris,
  Atque humili promptam corde precatur opem.
Te Coeli votis ferventibus invocat aula,
  Invocat, angelicis heu viduata choris,
Ut vacuas homini liceat conscendere sedes
  Unde ruit divo fulmine pulsa cohors.
Nascere, magne Puer, soboles dilecta Tonantis,
  Dat ridens florum nunc tibi terra decus.
Nunc vera laetitiae nascantur secula tecum,
  Et serpens vetus, et dira venena cadant.
Afflicto redeat nunc aetas aurea Mundo,
  Prospera nunc regnet pax, et amica Fides.
Horrendumque fuga bellum, caedesque cruentas,
  Discordes almo foedere junge viros.
Devinctus duris centum post terga catenis
  Dira super residens infremat arma furor.

Tu populi noxas, immania crimina dele,
Ut firmo in Patrem flagret amore tuum,
Ut tangat Patrem pietas, et fulmina ponat,
Mitia det nobis cunctaque propitius.
Nascere, magne Puer, fundet colocasia tellus,
Cum pergrato hederas baccare fundet humus.
Non metuent pecudes ursos, saevosque leones,
Plena ferentque greges ubera lacte Domum.
Jam tellus inarata dabit cerealia dona
Quercubus e duris roscida mella fluent.
Exultans orbis tanto laetabitur ortu:
Nascere, magne Puer, nascere tempus adest.
Angelicae expediunt turbae resonantia plectra
Et fundunt nato Principe dulce melos.
Nos etiam ad cunas laeti properabimus almas,
Et dabimus plantis oscula plura tuis.
Tres aderunt Charites nectentes florida serta,
Atque aderunt cunis gratia, risus, amor.
Nascere magne Puer, Soboles dilecta Tonantis,
Una salus Mundi, nascere, magne Puer.

ELEGIA XXIII.

In Festivitate SS. Apostolorum Petri, et Pauli

Pectine festivo pulsentur eburnea plectra,
Musa, et grandiloquas disce movere Fides.
Romuleas arces celeri contende volatu,
Gaudia nosce, quibus Tibrydis unda sonat.

Quaelibet augusta decoratur semita pompa,
  Majestate gravi Templa superba nitent.
Felix Roma nimis, summis tot honoribus aucta
  Armis ante, at nunc Religione potens.
Romulus incestat fraterno Sanguine muros,
  Dum vult insontem sternere caede Remum.
Te te nobilitat Fidei coelestis uterque
  Princeps, dum proprio sanguine sparsit humum.
Roma prius scelerum foeda caligine mersa
  Excutiens tenebras luce beante micat:
Evibrat et claros radios, splendoreque divo
  Illustrat cunctas, axe juvante, plagas.
Quae spoliis onerata prius, vastisque rapinis
  Vexarat tristi littora quaeque jugo,
Largitur populis pietatis jura, fidemque,
  Nunc facta est supereae certa Magistra viae.
Insurgant hostes inferna bile furentes
  Concidet infractus forti adamante furor.
Iactabit Petri navem spumantibus undis
  Obruere at numquam dira procella potest.
Relligio ex oculis pandens felicia signa
  Apparet niveo tegmine cincta meis.
Haec mihi detrusos errores monstrat, et orci
  Agmina sub stygios ire coacta lacus.
Sceptra haec nascenti Fidei meditata ruinam,
  Regnantum et fractas nunc mihi pandit opes.
Nigra confusos Sapientes nocte revelat,
  Omnia et a claris parta trophaea viris.
Petro orante, Magum, fuerat qui vectus in auras
  Horribili casu praecipitasse docet.

Invictos animos hilaris constantia tollit,
Qui Regum tumidas nil timuere minas.
Qui laeto immanes vultu subiere dolores,
Qui infamem grandi corde tulere necem.
Hic cerno fixum crudeli in robore Petrum
Cervice inversa reddere Coelo animam.
Illic feralis Pauli caput abscidit ensis
Fonteque de triplici subsilit unda fluens.
Mox e divino nascuntur sanguine, totum
Quae decorent, fidei germina mira, solum.
Ad faustos tumulos fervens hinc confluit orbis,
Ossibus et sacris redditur almus honor.
Eja agite, o Fidei Patres, defendite Romam,
Saevaque Faenarii frangite tela Ducis.
Candida lux, tenebris pulsis, his fulguret oris
Et ducat laetos Itala terra dies.
Reddite felices Populos, sinceraque semper,
Atque animo et forti regnet in ore Fides.

ELEGIA XXIV.

Divae Matri Votum
Ad petendam Pluviam

Hos tibi, diva Parens, aegris fiducia rebus
Corde ciet tristis Ricina moesta preces.
Exurit rabide steriles vapor igneus agros,
Atque arens dulcem postulat arbor aquam.

Herba cadens moritur, gratus dum deficit humor,
Omniaque extremus corpora languor habet.
Frustra Pastor avet gelidam sub frondibus imbram,
Et muta ad fessum pendet avena latus,
Infirmosque greges premit inclementia Solis,
Exarent fontes, pabula nulla virent.
Suplicibus votis imbres optamus amicos,
At Coelum veluti cinctum adamante riget.
Post tot crudeles poenas, saevosque labores,
Queis Italas oras jam duo lustra gravant,
Confectos animos tandem spes dulcis alebat,
Cunctaque felici prospera vere dabant.
Florebant plantae, laetaeque in palmite gemmae,
Ridebat pleno vertice amica Ceres.
Nos miseros! nimium furit implacabilis aestus,
Et laetas segetes flamma inimica vorat.
Fervida, diva Parens, populi audi vota dolentis,
Tristibus et promptam casibus affer opem.
Ense fero, tumidisque minis Mars impius Urbes
Vexavit, spargens sanguine, caede vias.
Torva fames, maestas satis est dominata per oras,
Laeta diu nostros copia liquit agros.
Quod si hoc deficiant anno cerealia dona
Gens cadet horribilis victima certa famis.
Haec mala sacrilegi populi rea facta merentur,
Delictis pietas sed tua major erit.
Elias obtinuit siccis regionibus imbres,
Tu Virgo nostris flecteris haud lacrymis?
Eja age; Virgo potens, nostro succurre labori
Jam scelerum lacerat pectora nostra dolor.

Fontibus e superis imo largire, beatam,
Quae in nobis fiat vita perennis, aquam.

ELEGIA XXV.

In funere virginis sponsae

O tu ,quae molles superabas, Virgo, columbas,
Tu quae puniceas ore rubente rosas;
Cur heu te innocuam primo sub flore juventae
Fratribus a caris abstulit atra dies ?
Abstulit et dulci sponso, quo carior alter
Non tibi, cui fueras primus, et unus amor.
Sic florem gremio Matris telluris hiantem
In vacuas auras dira procella rapit.
Francisca, heu tristi deperdita funere, tecum
Cuncta rapis Patriae gaudia, cuncta Domus.
Te flens excrevit turbati Tibrydis unda,
Te flevit passis Gratia, Nimpha comis.
Romulei tollant colles ad sidera questus,
Sol cinxit fusco tegmine triste caput.
Cum te vitali jam cassam lumine, moesta urbs
Ferret per trepidas ad nigra busta vias.
Condita sub nigro tumulo jacet inclita Virtus
Condita stat tecum Gratia, Forma, Pudor.
Barbara mors, flecti mortalibus inscia votis,
Tu sinis ut cornix saecula longa trahat?
Huic quae debuerat Cumeae aequasse Sibillae
Tempora, tam properas injicis atra manus?

Dulcia nec rigidam flexere heu verba rogantis ,
  Quae possunt ipsas exuperare feras,
Frangere vel lapides, vel ferrum, forma nec oris
  Cui Juno, Pallas, cedit et ipsa Venus?
At saevi licet, effera mors, fato ipsa superstes
  Vivet, et aeternos ducet in axe dies.
Ipsa per ora Virum volitans per saecula vivet.
  Oh dolor, oh Patriae gloria magna suae.

ELEGIA XXVI.

Paraphrasis Psalmi CXXXVI.

Qua fluit invisis amnis Babylonius undis
  Sedimus, effusis triste per os lacrymis.
Dum te, cara Sion, olim jucunda voluptas,
  Mens videt, et dura perdita templa manu.
Ad salices citharas mutas suspendimus, urbe
  In media, negat has tangere dextra labans.
Exposcat dulces tristi de pectore versus,
  Exposcat sacros turba prophana sonos.
Gens fera, quae tractos vinxit post terga lacertos ,
  Barbara quae miseros traxit in arva Viros.
Insultans, gaudensque malis queis frangimur, inquit,
  Dicite nunc hymnos, queis prius alta Sion
Personuit; liceat sacrum nunc fundere carmen,
  Quos premit horrendo terra inimica jugo?
Oh Solyma, oh Patriae vita mihi carior aedes,
  Si umquam mente cadas, dextera fiat iners.

Haereat arenti lingua haec affixa palato,
  Cara Sion, fuero ni memor usque tui.
Ni cum laetitiae primi sub pectore sensus
  Surgunt, sis plausus unica causa mei.
Oh Domine, oh memori maneat tibi mente repostum
  Crimen Edom, cum atro milite adusta Sion.
Improbus exacuit violenti militis iras,
  Fraterna exultans caede cruentus ait.
Perdite vos flammis, ferro vos perdite muros,
  Vasta nec antiquus stet super arva lapis.
Infelix Babylon in nostram effusa ruinam,
  Ah felix tibi qui damna reponat, erit.
Ille nimis felix qui avellet ab ubere natos ,
  Franget et abreptum saxa ad acuta caput.

ELEGIA XXVII·

De Divi Pauli conversione

Vel res mortales non curat, ut ante solebat,
  Vel sontes alto protegit Axe Deus,
Tristibus heu lacrymis vultus inarata dolentes
  Poscit opem trepido corde tenella Fides,
Infirmosque pedes timor et ferus implicat horror
  Et vittae cingunt tempora funereae.
Quaeque aris avulsa piis in littore deflet
  Hostia vindictam plurima caesa petit,
Et Deus ille gravi jaculatus fulmina dextra
  Flammanti curru nubila trajiciens,

Nunc Deus ille rotis super aegra cadavera vectus
Pacificis graditur, nunc Deus ille tacet?
Vel res mortales non curat ut ante solebat,
Vel sontes alto protegit axe Deus.
Sic ait insipiens spirans immane, fideles
Cum perdit Saulus strage furente viros.
Quid scit at insipiens? effusum in fulmina Coelum,
Et sontes mersos caede videre cupit?
Egypti exitium lux quaeque ergo edet acerbum?
Omnis littoribus frangitur unda suis.
Ira et amor studio adverso, conamine at aequo
Ante Dei faciunt aemula vota pedes.
Prima petit poenam, veniam sed postulat alter,
At labi cupidos fraenat utrosque Deus.
Irruat infrendens rabie stimulatus iniqua,
Inque Damascenos hic Leo pergat agros.
Hic manet, hic sternet divina Potentia monstrum,
Caedibus hic diris stat posuisse modum.
Irruat ille ferox: properat pernicibus alis,
Quae flammas spirans puniat hora caput.
Pax, et Diva Themis concordes vincula solvunt
Invadunt Sauli pectus, et ira, et amor.
Ira statim coelestis aequo deturbat ab alto
Dulcis amor properat, fractaque corda levat.
Et galeam, et clypeum, minitantiaque arma refringit,
Eversumque solo proterit ira Ducem.
Saucius ille trahit suspiria pectore ab imo,
Mentis et insanae tristia facta gemit.
Ira Dei gaudet, nitidis ornatque trophaeis
Hastam, quae tumidos fulminat hasta reos.

Dulcibus ast armis fama meliore triumphat
Saevo de Sauli corde supernus Amor.
Hoc celeri munit penna, qua protinus auras
Findit, et aethereum constitit ad solium.
Quid non cogis amor? culparum pondus acerbum
Nil gravat, est placidum quod fuit ante furens.
Incultumque licet jucundo fragrat odore,
Quod furor optabat perdere, servat amor.
Vincit uterque, novis laetatur uterque trophaeis,
Pax laeta exultat, gaudet et alma Themis.
Voceque dulcisona celebrant dum carmine Numen,
Mutua laetantes oscula plura legunt.
Seque fovent dulci amplexu, quo luce recenti
Aer exultat, coelica et astra nitent.
Immundae insipiens noscat deliria linguae,
Insana atque ingens comprimat ora pudor.
Quae magis aut fortis fuit, aut mage provida dextra,
Quae belli, atque ignis dira flagella quatit
Infidos delens populos, urbesque, domosque
Atque dapem trucibus dissipat ossa feris.
An quae uno in campo duplex ex hoste trophaeum,
Iustitia, et diva pace favente, refert ?
Num desit superae dextrae ad certamina vires ?
Portentis divis area lata patet.
Non lapis electus deerat virtute refulgens ,
Quem super extrueret templa decora Fides.
Relliquias scelerati hominis cur seligit? audax,
Desiste arcanas noscere, stulte, vias.

ELEGIA XXVIII.

Versio Psalmi CII.

Benedic anima mea

Numinis in gratos erumpat Spiritus hymnos:
  Fas est, fas summum concinnisse Patrem.
Tu mens, tu Domino laudes innecte potenti,
  Tantaque sint animo munera fixa meo.
Qui facili tristes disperdit pectore noxas,
  Aurea propitius qui tibi regna parat,
Eripit aeterno miseram qui e funere vitam,
  Aspera qui diva vulnera mulcet ope.
Cumque ego coelestes fuero transvectus in arces,
  Tunc tunc coelesti nectare pectus alet.
Tunc vota explebit, tunc gaudia congeret, annos
  Induet, utque Aquilae firma juventa novos.
Oh vos, quos nimbos inter Patientia fulcit,
  Durate, aeterno regnat ab axe Pater.
Quae vestros animos injuria dira lacessit
  Protinus everso cardine, fracta cadet.
Sic sic eduxit felici tramite Mosen,
  Gens Hebraea gravi sic relevata jugo.
Sic Pharias mersit revoluta sub aequora turmas
  Oh Pater, oh facili qua pietate nites!
Non ille aeternas sub pectore confovet iras,
  Non ille aeternas intonat axe minas.

Non ille infligit meritas pro crimine poenas,
  Ipsaque sunt nostrum dona secuta scelus.
Ut Coeli convexa plagis terrestribus absunt,
  Illius in miseros est ita vastus amor.
Solis ut occasus procul est Orientis ab oris,
  Sic nostro amovit crimina foeda sinu.
Ut Pater in natos, fertur sic ille dolentes
  In populos, hominum cui bene nota luces.
Pulvere constantes novit nos ille, Virûmque,
  Et foeni, et florum more, perire dies.
Vita perit celeri cursu, ceu fluminis unda
  Effluit, inque suum non reditura caput.
Vita fugit; Domini Pietas aeterna: fovebit
  Illa laborantes tempus in omne viros.
Hos timor at sanctus penetret, tum justus ab axe,
  In fida aethereas pignora fundet opes.
Natorum et nati donis potientur opimis,
  Principis aetherni si modo jussa colant.
Regnat ab axe Deus, solioque aeternus ab alto
  Imperio cohibet cuncta creata suo.
Aligeri prompti ad nutus, virtute potentes
  Aeterna Dominum concelebrate Chely.
Concelebrate Deum praestantes robore turmae,
  Principis in magni jussa parata Choors. (gens
Cuncta creata, precor, regnum qua extenditur in-
  Plaudite cuncta, tuum, mens mea, tolle Deum.

ELEGIA XXIX.

GENETHLIACUM

In Sampsonis Ortu.

Laeta dies fulsit, numquam splendentior undis,
Extulit auratas pulcher Apollo comas.
Isacidum pectus subeat jucunda voluptas;
Quod querulo optastis pectore, tempus adest.
En Puer excellens ingressus luminis oras,
Conteret hic praestans agmina dira puer:
Huic adamante sinum munit fortissima virtus,
Hujus et invictum brachia robur alet.
Anteit illius gressus, cladesque, timorque,
Quique hostis perdat barbara castra, furor.
Hujus in exortu jam nunc fera Terra Philistim
Expavet immani subdere colla jugo.
Non acies illum ferro, facibusque potentes
Prosternent: Judae fervidus Ultor adest.
Quo magis hostiles glomerantur in atra phalanges
Praelia, in adversos saevior ille ruet.
Non sic pallentes irrumpit dirus in agros
Horrenda immanis cum movet arma Leo.
Invictus Sampson trepidans ut conteret agmen,
Et rumpet saevas vasta per arva manus.
Eveniet: sperate decus, sperate salutem,
Polliciti Numen firmat ab axe fidem.

Angelus aethereis nuper delapsus ab oris
  Edocuit laetum dulcia fata Patrem.
Eveniet: jubet esse Deus: vos pellite longos,
  Isacidae luctus , frangite triste jugum,
Candida faestivo cunabula spargite flore,
  Exorto Puero munera ferte viri.
Oh quae majestas ridenti fulget in ore!
  Hinc nobis ingens gloria, certa salus.
Excipe, blande Puer, risus, plaususque Parentum,
  Excipias Populi publica vota tui.
Oh citius matura dies tibi roboret artus,
  Infandosque premas axe favente viros.
Ins gnes laeto tollemus pectore laudes,
  Et dabimus capiti fulg ida serta tuo.

ELEGIA XXX.

In discessu a Collegio Recinetensi Optimi Pro-Rectoris Bartolomaei Hernamdez, adolescentes cum hoc propemtico prosequuntur.

Care Pater, liceat teneris his vocibus uti
  Quas non obsequium, sed bene fundit amor,
Care Pater jam lux infausta, inimica propinquat:
  Nostro te evellit flebilis hora sinu.
Heu propere excedis, suprema haec verba dolentum,
  Aspectuque frui tristia fata negant.
Parthenopes Divûm jussu transvectus in oras
  Cum desiderio deseris heu lacrymas.

Tu nobis aderas monitis sapientibus ultro,
  Tu dulcis Frater, verus amicus eras.
Non sic affectu tenero sua pignora fovit
  Cara parens: nostrum quae tibi cura fuit !
Corrigeres sontes, vel solavere dolentes,
  Affectus teneri splendida signa dabas.
Care pater, satius fuerat, si fata parabant
  Discessum, vultu nos caruisse tuo.
Nunc tua nos pietas, et amor, nunc cura, laborque
  Tutari Juvenes quo tibi dulce fuit
Aeterni exposcunt monumenta extrema doloris.
  Aufugit a nobis pax, et amica quies.
Usque aderit menti praesens tua dulcis imago,
  E nostro numquam cedere corde potes.
At tecum vivat Juvenum tibi suavis imago ,
  Inque tuo nostri pectore vivat amor.
Excipe nunc flentis turbae ferventia vota,
  Et tibi pro votis Terra secundet iter.
Exurgant valles, montes sua culmina sternant
  Non laedat celeres bruma, geluque rotas.
Non te perturbent effusi e nubibus imbres,
  Carcere tu ventos, Eole, claude graves.
Sis sospes, felixque: tuis cervicibus instant
  Si adversa ah potius tempora nostra premant.
Vive diu, sanctisque imple virtutibus Orbem.
  Quanta Dei in Regno stat tibi parta seges!
Extremum nunc triste vale, Pater, excipe: Pauli
  Ad sanctos steterat sic pia turba pedes.
Vive memor nostri, quod si te laesimus unquam,
  Ejicias animo crimina nostra tuo.

Poena est immanis lacessat quae corda: gementi
Respicito tibi cor ... cor tibi mite ... vale.

ELEGIA XXXI.

In horribili Terraemotu

Me miserum! quanto dissultat murmure Tellus!
En aperit fauces rupta vorago truces.
Fundamenta labant, magnoque emota fragore
In praeceps saxis saxa revulsa ruunt.
Illuc horribili fremitu Coelum omne remugit:
Nos caedem ad diram certa ruina vocat.
Haud secus ingenti tonitru sua viscera rumpit,
Sulphureosque minax egerit Ethna globos.
Nos miseros! fragor ater acerbam Numinis iram
Pandit, et ultrices in sua jura manus.
Sic olim Hebraeos insana fronte tumentes
Immani sontes obruit exitio.
Terra sui paret Genitoris nutibus, ardet
Sagrilegos atra perdere fauce viros.
En concussa metu tristi scelerata libido
Expavet, et tumidus fastus, opumque fames.
Nunc ubi ventosae perversa superbia mentis,
Contemptrixque Deum, nunc ubi vis animi?
Expallent, lacrymantque: Deus nunc noscitur illis,
Pallida nunc tristis conficit ora pudor.
At tu parce, Deus, tellus nec cardine verso
Omnia disjiciat turbine adacta gravi.

Semisepulta virûm ruituris corpora saxis
Contrita aspicies, cunctaque versa solo?
Nec tua te Pietas tangit, Pater optime, non te,
Qui Nati e venis fluxit in arva, cruor?
Parce, precor, miserere Pater: si triste flagellum
Justitia intorquet, ponere cogat amor.
Non tibi mors sontis curae, sed vita, salusque:
Poenitet, en animi nuncia verba mei.
Hic dolor, haec lacrymae, cordis quas crimina po-
At Patris affectum jus Pietatis habent. (scunt,
Tu tu prote miseris succuras mitis Emigdi,
Et bonus ad divos fer mea vota pedes.
Crimine quae nostro mota est ope terra quiescat
Tanta; non jussis pareat illa tuis?

ELEGIA XXXII.

Versio Psalmi L.

Miserere mei Deus

Parce, precor, miserere Pater, tua detonet ira,
Non haec injustum puniat igne caput.
Ad te flens venio, lapsum clementia pectus
Roborat, infidis portus, et aura reis.
Illa patet, pateatque, precor, vasti aequoris instar,
Abluat haec animi tristia facta mei.
Me premit immanis patrati criminis horror,
Impetit et sordens ore minante scelus.
Te laesi, Pater alme, mali tu testis et ultor:
Justaque de justo judice poena venit.

Projice tela manu sed, tu Pater Optime, iniquum
  Me peperit Mater, vitaque tincta lue est.
Vera loquar sine nube: placent tibi candida corda;
  Hinc arcana mihi plnrima sacra patent.
Oh utinam aspergas hyssopo lurida membra
  Tunc fierent lapsa candidiora nive.
Laetitia expellat luctus, et mulceat artus,
  Ossibus afflictis vox tua dulce sonat.
A noxis tristem foedis avertito vultum,
  Quaeqne male admisi crimina nostra fuga.
Ne me rejicias patris amplexibus oro,
  Nec tuus e nostro Spiritus ore migret.
Laetitiam tu redde aegro, tu redde salutem,
  Fractaque coelesti lumine corda fove.
Me duce jnstitiae discet gens impia callem,
  Et cadet ad divos gens scelerata pedes.
Oh Deus una salus, fuso me a sanguine serva,
  Et dicet Laudes tunc mea lingua tuas.
Sed tu, tu sontis putre os absterge, perennis,
  Facque tibi gratus sit quoque vocis honos.
Victima caesa tuos animos nil placat, haberes,
  Haec si digna forent, plurima dona, Pater.
Est tibi gratus odor, curis exercitus aegris
  Spiritus, atque humilis tristia corda leva.
Ah Solymae muros, struat ah tua sancta voluntas
  Gaudeat et mihi sub Patre Laeta Syon!
Tunc tibi justitiae pia dextera solvet honores,
  Atque erit e vitulis ara referta meis.

ELEGIA XXXIII.

Versio Psalmi

Quemadmodum desiderat

Ut gelidas cervus fontis petit impiger undas;
Sic mea mens unum poscit anhela Deum.
Hunc petit impatiens: sitis arida torret hiantem:
Heu mihi cur dulci non datur ore frui ?
Noctes, atque dies lacrymis mihi pastus obortis,
Hostes dum repetunt, dic modo, Numen ubi est?
Haec memini, at moestum refovet spes unica pectus,
Quod mihi fas rursus Nnminis ire domum.
Templa petam rursus, numeros effusus in almos,
Stipabitque meum maxima turba latus.
Cur mea, cur tristi torquentur corda dolore,
Mixtaque sunt lacrymis vota, precesque meis?
Spes Deus una mihi, sacris licet exul ab oris ,
Sacro iterum fundam limine dulce melos.
Spes labat, et rursus vexorque, agitorque procellis,
Spes labat, et tristi corda pavore tremunt.
Hinc spes, lenimen, timor hinc fel ingerit atrum:
Fervet in oppresso barbara pugna sinu.
Spes animam rapit afflictam sub Numinis aedem ;
Pes heu Jordanis, pes colit aeger aquas.
Hermonios peragro saltus, loca inospita, vitam
Ut tuear; mihi nox, fit mihi amara dies.
Me miserum! tristem stridens velut urget Abyssum
Cum furit effusis tristis abyssus aquis:

Vox ubi diva atras concussit ab aetere nubes,
  Obruit et trepidam turbidus imber humum;
Heu sic horrisoni baccantur vortice fluctus,
  Queis divina meum nunc premit ira caput.
Quid faciam infelix ? qua spe, qua fulciar aeger ?
  Qua? mea mens spera: spes mihi certa Deus.
Laeta dies aderit, pietas cum Numinis almi
  Tristia coelesti corda fovebit ope.
Laeta dies aderit, solis qua Luce, nigrisque
  In tenebris, solvam carmina grata Deo.
Hac ego spe curas animi solabor amaras.
  Excipiet validas Numen ab axe preces.
Huic dicam : mea vita, meis una Anchora rebus,
  Eja age, dive tuum suscipe Rector opus.
Te ne igitur Genitor caepere oblivia nostri ?
  Cur fero tot tristes barbaro ab hoste minas ?
Dum mea tot rigidis concidunt membra flagellis,
  Dum me tot sannis turba inimica gravat,
Dum vibrant telum telo violentius omni,
  Cum repetunt diro gutture, Numen ubi est ?
Haec vox insultans saevo me conterit ictu,
  Et gliscit poenis poena, dolore dolor.
Mens mea, quid tristis pavitas, cur ingruit horror?
  Cur trepidant tanto viscera fracta metu?
Eja age, spes bona nunc subeat, diram excute nubem.
  Spes ubi sit quaeris ? spes mihi certa Deus.
Laetus adhuc dulces effundam pectoris hymnos,
  Ipse Deus nobis, ipse erit una salus.

ELEGIA XXXIV.

Joseph in Aegypto regnans Jacob Patri suo.

EPISTOLA

Care Pater, nova laetitiae nunc tempora surgunt,
Splendidiorque animo fulget ab axe dies.
Exue nigrantes confecto e corpore amictus,
Et foveat rursus pectora blanda quies.
Ille ego, quem diris laniatum dentibus olim
Flevisti curis obrutus usque Pater,
Ille ego Niliacis nunc vivo prosper in oris:
Vivo? manu valida sceptra secunda rego.
Extrema haec pellant extremum gaudia luctum,
Tristeque jucundo nectare pectus alant.
Laetitiae oh utinam! tantae spectator adesses,
Et mixti risus, mixtaque verba forent.
Ingruet hic forsan menti violentior ictus,
Neve tibi noceat mens mea fracta timet.
Care Pater, vivo post tot discrimina rerum:
Per quae indigna tuli, gloria multa venit.
Fratribus abreptus diris, violentius in me
Dum coeunt, mortis victima pene fui.
In puteum injicior tenebris, formidine septus,
Me miserum! languent membra, pavore labo.
Dum funesta fames trepidantia viscera torquet,
Dum properat vitae nox inimica meae,
Eruor infelix, immisso fune, gemensque
Ignotis vendor tempus in omne viris.

In Pharias rapior terras, equitumque Magister
  Emptum felici Putiphar aede locat.
Rem credit, famulos supra mihi cuncta potestas:
  Allicit et Dominum res bene gesta meum.
Prospera cuncta mihi; sed me Rex altus Olympi
  Rursus per sortis turbida adire jubet.
Quam forma praestans, tam perdita moribus uxor
  Infanda vafros comparat arte dolos.
Ignibus exarsit violentis; illa pudorem
  Exuit, atque meum concitat igne sinum.
Quid facerem? pudor ipse vetat, divinaque jussa:
  Illa sed injustas instruit atra minas.
Horresco referens, stygio cum concita ab aestu
  Intulit impuras in mea terga manus.
Ut rabidis ursi evadit de faucibus agnus,
  Accipitrisque ungues casta columba fugit,
Egredior pavitans gressu properante per aedem,
  Arrepta at stringit pallia iniqua manus.
Heu quid non tentat deluso Foemina amore?
  In diras furias illico versus amor.
Prosilit et laudem demens in crimina vertit,
  Meque sui clamat criminis esse reum.
Accurrunt Famuli: testantur pallia culpam.
  Vir fremit, inque meum perfurit ipse caput.
Quod pius extimui thalamos temerare verendos
  Sum reus, atque inter vincula carcer habet.
Ingruit hinc atque hinc moles immensa malorum,
  Quodque unum superest, fletibus ora rigo.
Tum vero incessit terror mage turbidus artus,
  Quaeque tuli infelix, quaeque ferenda tremo.

Nunc venit ante oculos moesti Genitoris imago,
  Excruciatque animum poena paterna meum.
Quique olim strictus patriis amplexibus, ah nunc
  Avulsus cogor vincula dira pati.
Sed me per tristes aerumnas semita felix
  Confectum curis ad bona fata rapit.
Disparent luctus, laquei franguntur acerbi;
  Carcere pro diro Regia dives habet.
Perstrinxit dubium facilis sapientia Regem
  Cum verbis novit somnia aperta meis.
Regali invectus per compita fervida curru
  Providus Egypti nuncupor ore Pater.
Gemmato flavi rutilant diademate crines,
  Et valida moderor regia sceptra manu.
Me sine nil vastis quisquam molitur in oris,
  Per me Nilicolis horrea plena patent,
Cumque fames siccis dominetur barbara in arvis,
  Cum nulla arenti germinet herba solo;
Ubertas tamen hic ridet, nec deficit ulli,
  Providus ut foveat languida membra, cibus.
Huc, o care Pater, gressu te confer anili,
  Et mecum capias quae mihi dantur opes.
Ah precor, ah propera, votis id defuit unum,
  Nam mihi, conjuncto te Patre, triste nihil.
Felix, oh nimium felix, Genitoris amati
  Si mihi jucundo nunc licet ore frui.
Ibis Memphiticas pompa celebrante per oras,
  Fertiliorque tuo terra parata gregi.
Huc precor, ah propera: lacrymas per mutua fusas
  Ex laetis oculis ire jubebit amor.

Te Domini multos servet pia dextera in annos
  Amplexu numquam solvar ab ipse tuo.

ELEGIA XXXV.

In Divam Margaritam Cortonensem

Margari, quam foedo demersam gurgite Numen
  Infandis clemens sordibus eripuit,
Te cano: fert animus Lauros intexere fronti,
  Conversa et vitae dicere facta tuae.
Coeperat horrendis laquaeis te vafra voluptas,
  Dum mollis primo flore juventa viget,
Incautoque atrum perpotas pectore virus,
  Perdita, mentis inops in scelus omne ruis.
Mollibus ex oculis acer diffunditur ignis,
  Qui misera insano vortice corda cremat.
Subridet malis roseis metuenda venustas,
  Et certos laqueos verba loquentis habent.
Decipitur, capiturque dolis incauta Juventus
  Et spolia indigno crimine opima refers.
Hinc patris, praeceps ut vivas, cedis ab oris,
  Nec metuis turpi colla dedisse jugo.
Sic culpa insequitur declivi tramite culpam,
  Innectuntque magis vincula nexa pedes.
Magdala sic quondam mulier fatale Juventae
  Exitium incautae perniciosa fuit.
Sed te sic pariter vitiorum pondere mersam
  Infando e barathro gratia diva tulit.

Nam Procus infamis diro prostratus ab ense
  Immani infelix morte peremptus obit.
Te canis instinctu supero te veste prehensam
  Qua confossa latent sub strue membra trahit.
Aspicis effusa in lacrymas exangue cadaver,
  Aspicis effusis vulnera acerba comis.
Heu! dolor immanis labefactat mollia corda,
  Et revocas frustra voce ululante Virum.
Perdita flaventes discindis vertice crines,
  Et rigido madidas ungue genas laceras.
Hinc furor impellit vesana mente labantem
  Extinctum certo funere ad ima sequi.
Cum coelestis amor nitidis delapsus ab astris
  Divino stultum corripit igne sinum.
Solis ut ardentis radiis nox diffugit atra
  Igne ita coelesti perditus orror abit.
Territa consurgis, metuendaque tristis averni
  Supplicia, aeternos cernis et aegra lacus.
Demersi in stygias flammas occurrit imago,
  Et ferit en aures tracta catena tuas.
Concutit ossa tremor, flavas ceu vibrat aristas,
  Vel cum populeas ventilat aura comas.
Ante tuos oculos fauces reserantur avernae,
  Ante tuos oculos perfurit ignis edax.
Immani miserum nutat formidine Pectus,
  Sed tibi fit tanti meta timoris amor.
Quod cor laethiferis fuerat penetrabile telis
  Vitali praesens vulnerat ense Deus.
Ureris inducto ceratae ut sulphure taedae,
  Ut pia fumosis addita thura focis.

Et tibi divini sponsi stetit obvia imago,
  Divinum Sponsum noxque, diesque refert.
Poenitet, hunc culpis adeo laesisse scelestis,
  Illius amplexus aegra, dolensque petis.
Et subito eluitur crimen, scelerumque dolentem
  Tegmine candenti gratia diva tegit.
Continuo ingrederis probos bene saucia mores,
  Quamque impura prius, tam modo pura nites.
Ornamenta manu discindis lubrica forti,
  Contegis et duro vellere molle latus.
Quique oculi flammis vafri exarsere nefandis
  In juges lacrymas fluminis instar eunt.
Quae facies fuerat turpes venata lepores
  Occupat exanguis, funereusque color.
Pro lautis epulis poscis jejunia, molli
  Prostrato dura corpora sternis humo.
Pallida crudeli discindis verbere corpus,
  Et stupefacta fluens manat in arva cruor.
Quin foedas culpas divino concita ab aestu
  Pandis, et exquiris dedecus ipsa tuum:
Et frustra insidiis nigri petit arbiter orci,
  Indignas fraudes Numine fulta domas.
Sic, quae stulta prius fueras in crimina pestis,
  Effecta es sanctae clara Magistra viae.

ELEGIA XXXVI.

Daniel e Leonum fovea liberatus

Exultat voti compos turba impia: Vati
Infanda tristes instruit arte dolos.
Incidit in laqueos Daniel virtute refulgens
Dum vetitas justo fundit ab ore preces.
Ast placuisse Deo satius: nil territus ille
Invidiae Procerum victima pura cadet.
Ad mortem properat non fracto pectore virtus
Vivida, perpetuos ducere certa dies.
Me miserum ante oculos reseratur vasta vorago,
Frendet ubi rabido plurimus ore Leo!
Rugitu horrendo tonat aer: improba ventis
Protinus exacuit monstra cruenta fames.
Immensas reserant fauces, unguesque fatigant,
Extenduntque ferum gutture hiante caput.
Persarum Princeps optat rescindere legem,
Et tanti luget fata tremenda viri.
Quid faciat? Lex alta vetat, Regisque potestas
Funestae legis subjacet arbitrio.
Corripiunt Vatem compulsi Lege Ministri:
Et dedit hos Princeps corde dolente sonos.
Non ego te, Daniel, Lex heu te barbara damnat!
Non mihi te tristi solvere morte licet.
Eripiat Deus ille, preces cui fundere suetus,
Qui regit imperio cuncta creata suo.

Vix ea: cum subito in foveam laniandus atroci
Dente ruit Vates, praeda voranda feris.
Infandi artifices sceleris celebrate triumphum,
Insontem Vatem perdidit invidia.
Cor laeto trepidat motu, victoria vestra est:
Praematura tamen gaudia fraudis erunt.
Est Deus, insontes laqueis qui vindicat atris,
Qui sontes laqueis implicat axe suis.
Ite ausi crudele nefas, ausoque potiti,
Vos manet inversa sorte futura dies.
Rex abit ingenti confectus corda dolore,
Et verbis Daniel, ominibusque vocat.
Abstinet a dapibus, nec dat sua lumina somno,
Ad foveam impatiens sole nitente redit.
En lapis aufertur; dictu, mirabile monstrum!
Deposuere iram barbara monstra suam.
Angelus e supera delapsus sede, Leonum
Effera coelesti continet ora manu.
Oh Daniel, Daniel, Rex clamat, maxime vatum
Vivis? divina non ope tutus eris?
Vivo equidem, Princeps, Daniel respondet, et aura
Vescor: propitius sit tibi ab axe Deus;
Qui Deus excepit pro te ferventia vota,
Excepit pro me, quas dedi ab ore, preces.
Obstupuere omnes, laetas it clamor ad auras,
Demisso et Daniel fune trahunt fovea.
At vos, perversi Proceres, vos vindice poena
Urget diva manus, morsque cruenta premit:
Illico correpti foveam jaciuntur in atram,
Cumque suis natis, conjugibusque suis.

Horrendo vastae fauces reserantur hiatu.
  Scissaque vulnificis dentibus ossa strepunt.
Exitus hic tristis fraudi bene debitus atrae,
  Ut cadat insidiis vir sicophanta suis.

ELEGIA XXXVII.

Marius supra Cineres Carthaginis.

Me miserum! quantis tristis fortuna ruinis
  Me frangit! Marius nunc fugit exul, inops!
Ille ego, qui Cimbros furioso Marte ruentes
  Edomui victor, raptaque signa tuli,
Ille ego, qui toties spoliis hostilibus auctus,
  Cui cecinit laeta voce triumphus io!
Per me tot pugnis Istri septemplicis ora
  Perdita; sat clarum nomen in orbe meum.
Immanem fregit violens haec dextra Jugurtham,
  Inque triumphales traxit opima vias.
Ille ego! me miserum, quem perfidus implicat horror,
  Quem vice conversa sors truculenta premit.
Consulis imperium, fasces, claraeque secures,
  Quodque angit gravius, Patria adempta mihi.
Me profugum insequitur diri violentia Sullae,
  Tingi avet et nostro sanguine acerba manus.
Carthago, fato divûm Domus es mihi, quondam
  Inclita, nunc cineres occulit herba tuos.
Quam bene conveniunt fato loca tristia nostro!
  En ego imago tui, vera tu imago mei.

Tu bello cunctas inter clarissima gentes,
Et Marius nulli Marte secundus erat.
Te cinxit laetam ridenti gloria fastu,
Sors mihi blanda decus, sors mihi fecit opes.
Nos miseros! vultu saevit fortuna minaci,
Quos prius extulerat, nunc mage dira terit.
Scilicet obruimur violento turbine uterque,
Romulidumque acer perdit utrumque furor.
Sic ego sic tecum perii, famamque, decusque
Omnia perdidimus: hic cinis unus erit.
Sed tu, Carthago, curas compesce molestas,
Solamenque malis dent mea damna tuis.
Te ferro hostili cinctam, cladesque moventem
Fregit Roma, tuas perdidit igne domos.
Me patriae columen septenis fascibus olim
Extulit, ad diram nunc petit atra necem.
Eja age, Carthago, longum solare dolorem
Saeva magis natis, quam tibi Roma fuit.
Hic ego moerentis traducam tempora vitae:
Est haec, est nostris luctibus apta Domus,
Et lacrymas, lacrymis fas hic miscere dolentes,
Nostraque adhaerebunt ossibus ossa tuis.

ELEGIA XXXVIII.

Davidis in Absalonis morte querimonia

Absalon ehu periit ! diro mors barbara telo ...
Discissum immani vulnere pectus hiat.
Oh mihi quis tribuat pro te hanc effundere vitam,
Ut possis fato vivere, nate, meo !
Expulsus solio, nitida depulsus ab aede,
Sustinui forti barbara damna sinu.
Moenibus egredior, tenui stipante corona
Exscidit haud labiis maesta querela meis.
Montibus aufugiens vili proscindor ab hoste,
Et reprimo ardentes in sua fata manus.
Omnia, dura licet, poteram qui ferre, perempto
Te, Nate, ehu videor nunc mihi mentis inops.
Oh mihi quis tribuat pro te hanc effundere vitam,
Ut possis fato vivere nate meo ?
Quid mihi nunc prodest tanto victoria luctu ?
Tempora pro lauro nostra cupressus habet.
Quid dispersa juvant forti nunc agmina ferro,
Si tu crudeli cuspite nate peris?
Oh Joab immanis ! tibi non in bella ruenti ...
Indixi ... nato parcere jussus eras.
Siccine tu Patris servas mandata? tuetur
Quae solium, puerum transfodit hasta meum ?
Oh mihi quis tribuat pro te hanc effundere vitam,
Ut te, me extincto, vita superstes alat !

Nunc reducem accipiet me regia pignoris orbum,
  Absalon aeterni causa doloris eris!
Accurrent fidi populi, plaudentque triumpho,
  Conficiet patrium mors tua dira sinum:
Oh mihi fatalem vibret mors horrida falcem!
  Extrema atque oculis fulserit ista dies!
Oh mihi quis tribuat pro te hanc effundere vitam,
  Ut te, me extincto, vita superstes alat!

ELEGIA XXXIX.

Allocutio Vetturiae Coriolano

Quo ruis insano succensus corda furore?
  Romuleum sequitur barbara turba Ducem?
Heu te Romano pollutum sanguine cerno,
  Caesaque sunt armis agmina nostra tuis!
Infensos tua defendit modo dextera Volscos,
  Quorum triste nimis Roma subibit onus.
Tu patriam exoptas convellere sedibus imis:
  Destruet, infandum! moenia flamma vorax.
Heu Patriam spernis diro tu corde gementem,
  Nil precibus Patres obtinuere suis.
Non te Pontifices flectunt, Populique Tribuni:
  Sanguine vis nostro commaculare manus?
Tu lacrymas etiam spernes, tu vota Parentis?
  Cerne, tuos Conjux moesta stat ante pedes.
Te nati exorant, te Patria Numina: mitis,
  Ni modo duritie robora vincis, eris.

Patria te laesit, fateor: sed poenitet: aegrum
  Misit in exilium: sed modo te revocat.
Quid magis exoptas, precibus non flecteris ullis,
  Franguntur molli pectora dura prece.
Tu tamen absistas, patriam si sternere mavis,
  Infamem prolem pectore rejicio.
Heu funesta dies, cum te sub luminis oras
  Eduxi, Patriam perdidit illa dies.
Hoc mihi Nate refers de te, Genitricis amorem
  Proteris, amplexus sperno, sceleste, tuos.
Infelix nimium Mater, prius exule nato,
  Infelix, Patriam dum petit ille, magis.
Si sedet ast animo fixum delere superbas
  Igne domos, animum vincit et ira reum,
Romuleas iterum me tristem confero ad arces,
  Pectore et excipiam vulnera prima meo.
Ense tuo natique cadent, lacrymabilis Uxor
  Concidet, et nostrae causa ferere necis.
Si Roma esse nequit per te, me sospite, sospes,
  Cum patria per te, dire, cadente cadam.

ELEGIA XL.

Masinissa Sophonisbae

EPISTOLA

Quam legis, optatam non fert, Sophonisba, salutem:
Cum nequit auxilium, fert tibi dextra necem.

Fallor, an ingrata praesentis imagine mortis
  Occupat ossa tremor, mens, animusque labant!
Nil pavet intrepidum pectus, quos evibrat ictus
  Mors fera, corque facit debile triste mori.
An Regina trahi duris captiva catenis
  Tarpejae rupis culmina ad alta potes?
Romanique feri fastum decorare superbum,
  Quasque ciet voces turba proterva, pati?
Fata subire juvet, quam tot convicia ferre,
  Non dextra pigeat te periisse tua.
Istius haud habeat mortis Romanus honorem:
  Et sibi praereptum moereat ille decus.
Scilicet ad lethum sors te Sophonisba reposcit,
  Nobilis et vitae stamina Parca secat.
Immatura peris, nec te pulcherrima forma,
  Non aetas viridis, non mea dextra tegit.
Haec tibi pacta fides sinceri hoc munus amantis?
  Oh nimis adversos in mea vota Deos!
Heu funesta dies, cum te victricibus armis
  Edomui, lacrymis victus at inde tuis.
Ah memini! laniata comas, laniataque vestes
  Amplexa es nostros icta dolore pedes.
Reginam dixti haud spernas Massinissa dolentem,
  Vel fer opem miserae, dede vel ipse neci.
Tantum Romanos cogar ne ferre furores,
  Praestiterit manibus me cecidisse tuis.
Ut faciem aspexi, lacrymasque per ora volutas
  Succubui telis praepetis ipse Dei.
Et pietas animum tetigit, data dextera dextrae
  Inque mei thalami jura recepta venis.

Barbarus heu hostis socialia vincula damnat,
Est mihi delicti causa fuisse pium.
Vocibus incusat duris: spes ulla salutis
Non datur: heu venies hostis in arbitrium.
Quid mihi tunc animi credas Sophonisba fuisse,
Rejecit nostras cum ferus ille preces?
Obstupui, gelidusque tremor mea perculit ossa
Semianimis media procubuique domo.
Utque animus rediit casu concussus acerbo
Quid facis, exclamo, quid Masinissa facis ?
Utere sorte tua, Romanas caede phalanges,
Jura si amicitiae negligit , hostis eris.
Post dubias pugnas, post tanta pericula fuso
Sanguine Romanas ut tuereris opes,
Haec tibi pro meritis tribuit nunc munera tantis;
Abstrahitur gremio heu nova nupta tuo ?
Talia jactabam: sed quid tentasse juvabit,
Praelia: par horum viribus ecquis erit?
Cur ego tot populos nova sub discrimina mittam?
Scilicet ut nostros depopuletur agros ?
Haud firmum regnum, Numidarum haud certa vo-
Hoc unum superest, mortis inire viam. (lunum
Quod tibi mittit amans, hauri Sophonisba venentas
Ipse tuos manes flebilis umbra sequar.

ELEGIA XLI.

Agrippina ad Senatum in Pisonem

Augusti Patres, vestram acri fixa dolore
  Rebus in adversis foemina poscit opem.
Heu dolor, heu pietas ! cunctis Germanicus oris
  Clarus, Pisonis fraude peremptus obit.
Pro patria pugnans celebri si morte perisset
  Dum forti hostiles perderet ense manus,
Non lacrymas fundens, non flavos scissa capillos
  Deflerem Sponsi barbara fata mei.
Felix pro Patria potuit qui absumere vitam,
  Huic nitidas cingunt laurea serta comas.
At Piso, Augusti Patres, teterrimus hostis
  Insontem dira perculit arte Virum.
Illius infensus meritis, quem Roma colebat,
  Qui virtutis erat cultor, et Orbis amor;
Illius infensus meritis, odioque furenti
  Impulsus, Sponso dira venena dedit.
Occidit heu Princeps invictus; sola relinquor,
  Plorat et amissum maxima Roma Ducem.
Quis non ingemuit tundens sua pectora palmis?
  Deflevit Sponsum barbara terra meum!
At Piso exultat, gaudet saevissima Conjux
  Festivo plausu tecta scelesta sonant.
Tegmine deposito infamis Plancina dolenti
  Concipit indigno gaudia magna sinu.

Ast nos sollicitis curis, moeroreque pressi
  Spargimus heu frustra rore cadente genas.
Vos dirae gentis, Romae quae plurima damna
  Attulit ah vultis crimina inulta pati?
Vindictam, Augusti Proceres, Germanicus optat
  Immanes feriat debita poena reos.
Vos gladium lancesque tenetis ut impia facta
  Pendatis: vestro Piso sub ense cadat.
Imminet heu vestris cervicibus efferus hostis,
  Omnibus ille bonis ultima fata parat.
Haud sibi dissimiles ad se compellat amicos,
  Haeret et insano turba proterva Duci.
Heu quas ille faces, quae dira incendia volvit!
  Civili rursus sanguine Roma fluet.
Fama erit insignis pestem, extinxisse nefandam,
  Haud nostrae metuant monstra cruenta viae.
Vos Patria exorat tristis, vos invocat Orbis,
  Evertere satis Civica bella solum.
Principiis obstate feris, crudelibus ausis;
  Vindictam et poscit frigidus iste cinis.
Qui toties vestram defendit sanguine vitam
  Qui forti subiit saeva pericla animo,
Ille haeros vestris oculis sua vulnera monstrat
  Pro patria toties quae fero ab hoste tulit.
Linquebat jam grandem animam, aeternaque pro-
  Languida claudebat lumina nocte sopor. (fundus
Illi aderant moesti comites, atque anxia conjux
  Dum patriis ulnis pignora cara fovet.
Huc illuc volvens oculos, suspiria ab imo
  Pectore dehinc ducens, hos dedit ore sonos.

Heu dulces animae, felix dum vita manebat,
Invida nunc vitae stamina Parca secat.
Immaturus obit Germanicus, hostis iniquus
Me perimit Piso, mors me inopina rapit.
Unum oro, si qua est pietas, ulciscere Roma
Cara mihi, nati funera acerba tui.
Inclita sub terras, sed inulta mea ibit imago?
Debita proh meritis proemia redde meis.
Impius haud nostro laetetur funere Piso
Jam premit infandum poena caput gravior:
Ah pereat, Patres Augusti, perfidus ille
Exoptata meo solvite justa Viro.

ELEGIA XLII.

Mydas Baccho

Haec Lenaee Pater lacrymis perfusus obortis
Cogitur infelix scribere verba Mydas,
Quem prius illexit fulvi malesana cupido
Auri, nunc debet tristia damna pati
Hei mihi quid feci? quid demens dona poposci,
Dona nimis vitae perniciosa meae!
Concessa nimium felix virtute videbar
Atque auri, dixi, pondere dives ero.
Auratas mensas, aurataque pocula, vestes
Insignes auro, limina, tecta, domum,
Aurum conversa in nitidum jam cerno: quis um-
Divitiis poterit se aequiparare meis? (quam

A te discessi: credens et vix mihi saxum
Tollo, micans radiis aurea massa fuit.
Frondentes virgas, flavas hinc vellit aristas
Laeta manus: campis aurea messis erat.
Decerpo rubeum foecnnda ex arbore pomum;
Hesperidas manibus dona dedisse putes.
Oh quae festivum subierunt gaudia pectus!
Impete tunc forti mens mihi visa rapi.
Stulte quid exultas? lacrymas quot fundere amaras
Debebis: miserum quanta ruina manet!
Ocyus acciri servos, mensasque parari
Mando: fuit multa mensa onerata Dape.
Aurea vasa nitent regali splendida luxu,
Sternimus in pnlchris corpora laeta thoris.
Me miserum! risus fugit, et jucunda voluptas,
Apparetque oculis horrida scena meis.
Sumo dapes,! avido quas dum manus applicat ori,
Massa statim nullo dente terenda rigent.
Admovi labiis vinum, tua munera, Bacche,
Pallesco, fluidum desinit esse merum.
Quid faciam ?fugit ore color, sensusque relinquit
Spiritus, haud possum membra fovere cibo.
Ah quantum est auri pereat! quid proderit aurum,
Immensas vivo si miser inter opes ?
Vivo? labant vires: instat miserabile fatum:
Gratia deficiet si tua, pulvis ero.
Cerne sitique, fameque absumptum Bacche Nepotem,
Tanta furens auri fert mihi damna fames.
Huc coecam imprudens traxit vesania mentem ;
Et propria infelix vulneror ipse manu.

Care Pater fer opem misero, promptumque levamen
 Non tua mens aegri fata Nepotis amat.
Nil ego fulgenti rebar pretiosius auro,
 Quid vita ast aurum deficiente valet ?
Stultitiam damno, monitus quae exosa benignos
 Perstitit in proprio, te rennente, malo.
Poenitet heu sceleris, suplex tua Numina posco,
 Quae mihi tu dederas dona, resume, precor.
Deme age fatalem virtutem: vivere praestat,
 Et tibi stultitiae sit data poena satis.

ELEGIA XLIII.

Ulisses Asthjanacta de turri praecipitem jacit

Invadunt Graji somno, vinoque sepultum
 Ilion, et Phrigyas devorat ignis opes.
Sternuntur Troes, leviores credere certant
 Terga fugae: imbelles barbara vincla gravant.
Handromache ante pedes fertur minitantis Ulissis
 Et puerum lacrymans Asthjanacta trahit.
Eolidi ignescunt vesano in corde furores
 Haectoris et proli fata cruenta parat.
Tum vero Mater subitis exterrita curis
 Victoris diri procidit ante pedes.
Adst at caesarie lacera, nudisque lacertis
 Perque genas lacrymae fluminis instar eunt,
Protendensque manus, genibusque Ithacensis inhae-
 Haec singultanti gutture dicta dedit. (rens

Illa en Magnanimi felix olim Hectoris Uxor
Regina, et Priami facta superba Nurus,
Regales exsuta sinus, et pulvere foedo
Sparsa caput, lacrymis expetit auxilium.
Quid saevis invicte, ensem quid stringis acerbum?
Anne parum Phrigii sanguinis ille bibit?
Vicisti: Danais sunt diruta pergama flammis.
Vicisti, Priami concidit igne Domus.
Non Hector, non ipse Paris, non inelita Proles
Extat, caede fera perdidit una dies.
Imbellis superest fari Puer inscius, et te
Lacrymulis fusis, voce tacente, rogat.
Quaeso ne lanies confectae viscera Matris,
Nec puerum immeritum vulneret ensis atrox:
Non ille in Grajas acies dira impulit arma,
Ejus nec vestro est sparsa cruore manus:
Nec tibi magnificum puerum stravisse tenellum:
Armatos contra saeva fer arma Duces.
Haud mihi tu parcas, parcas puerilibus annis,
Hic est Thelemachi dulcis imago tui.
Fare, tuum natum si perderet efferus hostis,
Ut tua vexaret corda Paternus Amor?
Immensum miserae matris perdisce dolorem,
Te vox naturae non sinit esse ferum.
Amplius haud superest mihi regia, non mihi conjux,
Qui relevet curas filius unus adest;
Hoc uno luctus animi solabor amaros:
Hic mihi moerenti dulce levamen erit.
Pelidis Priami lacrymis deferbuit ira:
Num cincta indomito corda adamante geris?

Flectere Maternis lacrymis, si vita supersit ,
  Funesti damni quid tua terra feret?
Nos Ithacam duces Sigaeo a littore raptos
  Et stringet nostras dura catena manus.
Non ego divitias, regna aut quae amisimus oro ;
  Pro Nati vita vota Parentis habe.
Sic oh Laertes feliciter impleat annos,
  Atque regas Ithacam cum seniore senex;
Auspiciisque tuis ruat inclita natus in arma
  Atque hostes fundat, Marte favente, suos;
Sic tibi Penolope tanto sociata marito
  Vivat in amplexus jam reditura tuos;
Sic tibi victori, dum findes aequoris aestus
  Praebeat optatam ventus et unda viam.
Talia jactabat: risit sed perfidus hostis
  Illius atque ulnis Asthjanacta rapit.
Atque pede arrepto vacuas rotat illico in auras,
  De summa turri praecipitemque jacit.

ELEGIA XLIV.

Posthumius ad Patrem jam morte damnandus

Quo propero? quae moesta oculos nunc urget imago?
  Imminet heu vitae tristior hora meae.
Jam video in collum fatali labier ictu
  Ferrum, ac extremam jam mihi adesse diem.
Haec mihi das, Genitor, pro insigni dona tryumpho?
  Partaque bellando gloria morte perit?

Est mihi supplicii duri teterrima causa,
Quod pulchram palmam perfido ab hoste tuli.
Ergo ego si vili perculsus corda timore
Vertissem rapidae terga, pedemque fugae,
Abjectoque animo convicia dira tulissem,
Obbrobrii tanti mi data palma foret?
Quid loquor at demens! prohibebant jussa Parentis
Semper judiciis jussa verenda meis.
Ah Pater, haud mortem timeo; mihi dulce sub um-
Ire, et damnantem osculor ipse manum. (bras
Hoc rogo, ne culpae vertas, si forte coactus
Hostes edomui, Marte favente, truces.
Me rapuit mea sors, et ineluctabile fatum:
Aeternos contra quis ferat arma Deos?
Milite stipatus multo, dum hostilia castra
Circumeo, ad pugnam me ciet hostis atrox.
Irrumpit, clamat, verbisque instigat acerbis:
Militis, atque Ducis dilaceratur honos.
Quid facerem? dubiae titubat sententia mentis;
Est scelus in bello, dedecus inque fuga.
Quid facerem? Patris occurrit prohibentis imago:
Dedecus ast ingens Patria ferre nequit.
Haec ego dum meditor; meditantem perfidus hostis
Invadit: jam spes nulla salutis erat;
Quid mihi consilii Genitor tum magne dedisses
Cum fera me hostilis traxit in arma furor?
Pugnavi intrepidus: dabat hanc fortuna salutem,
Pugnavi, indigno sanguine terra madet.
Hei mihi quid prodest, hostem stravisse superbum
Si me sors eadem fata ad acerba trahit?

Et pereo manibus patriis ex hoste tryumphans?
At manibus praestat me periisse tuis.
I, Lictor, propera: vultus obnube nigranti
Tegmine, victrices fune ligato manus.
Cervicemque meam nunc inclytus amputet ensis
Hostile in pectus qui sibi fecit iter.
Laetus ego subeo funus: nil morte tremisco
Et Patris, et Patriae gloria major eat,
Sanguine et e nostro crescat: tuque optime quaeso
Haud nati damnes inclyta facta tui.
Et memor ipse mei, quem jam mors auferet atra
Inscribas tumulo carmina pauca meo.
--Hic quem victorem victoria dira peremit
Posthumium condit, Patre jubente, Lapis. --

ELEGIA XLV.

In Annibalis fato

Quis neget irriguas lacrymas, et flebile carmen
Heroa invictum dum cecidisse videt?
Injicit huic nigram Proserpina lurida dextram
Praepropera et vitae stamina falce secat.
Annibalem diro subeuntem fata veneno
Aspiciat trepido Punica terra sinu.
Aspiciat laetanti animo, fastuque superbo
Perfunctum fato Roma inimica Ducem.
Vincere quem bellis, saevo quem sternere ferro
Non valuit, vili perdidit insidia.

Sperabat duris Heroem striugere vinclis,
  Inque triumphales ducere posse vias.
Ut qui complerat septem formidine colles
  Acri eversurus Romula tecta manu;
Ardua mox gravibus devinctus colla catenis
  Hostis deberet probra superba pati.
Romulidum norat Poenus fraudesque, dolosque:
  Nec sibi perfugium barbaro ab hoste dari.
Ingrata Dux excellens Cartagiue pulsus
  Cedere ab Authiochi littore jussus erat.
Pectore se recipit firmo Bithiuidis oras,
  Hic etiam tendit retia Roma ferox.
En quid agat? magnos volvit sub pectore sensus,
  Non timet horrendum nigri Acherontis iter.
Virtutesque animi, juratasque excitat iras,
  Prominet et Virtus, prominet ore furor:
Terribiles rovocat pugnas, cladesque cruentas,
  Romulidumque armis agmina fusa suis.
Sollicitos, inquit, curis prohibere Quirites
  Est animus: placido funere nunc moriar.
Non omnis moriar: nostri pars maxima mortem
  Effugiet, tristes spernere certa rogos.
Annibalis nomen stygia haud cohibebitur unda,
  Annibalis nomen fama loquetur anus.
Non omuis moriar: versum mea vita Saguntum,
  Hispana aeternos dant mihi regna dies.
Pirenesque jugis, et qua nova aperta per Alpes
  Semita inacessas, usque superstes ero.
Non omnis moriar: vivet Cannensibus oris
  Inque Perusino gloria nostra lacu.

Ausoniis, Afrisque plagis, Bithinide, nomen
  Mors fera in Annibalis nil sibi juris habet.
Haec secum volvens invicti pectoris Heros
  Conversas sortis non dolet ipse vices.
Neve Deos culpat: morti se devovet ultro,
  Quae fert sub gemma dira venena bibit.
Sic cadit Egregium columen Carthaginis altae,
  Nec premit insignem barbara Roma Virum.
Aspice Carthago exuvias, pallensque cadaver,
  Inclita et effusis fletibus ossa riga.
Intrepidus cecidit Poenorum nominis ultor,
  Moenibus heu instant ultima fata tuis.
Bellantem non Romanae vicere Cohortes:
  Annibalem Patriae perdidit invidia.
Respice Roma ferox, collapsam respice dextram
  Fatalem lateri, pignoribusque tuis.
Romano toties mersit quae sanguine campos
  Morti quae victrix millia multa dedit.
Ne saevi in cineres: inimica et pectora Virtus
  Attrait: abstineas Roma superba manus.
Nunc ruere haud poterit Tarpejas funditus arces:
  Intentat nullos frigida dextra metus.
Interea placida tutus requiescat in urna,
  Mortua nec diro contere membra pede.
Carmen age exultans fatale inscribe sepulchro.
  — Carthago hic forti cum Duce lapsa suo —

ELEGIA XLVI.

EPISTOLA

Ad Juvenem in Collegium redeuntem
Post Autumnalia solatia

Excessere dies, studio cum pomifer annus
  Longo defessis dulce levamen habet.
Cum tu jucundum campos lustrare patentes
  Duxisti celeres insidiatus aves;
Vel mutos hamo pisces deprendere adunco
  Carpere sive avida dulcia poma manu,
Vel, legere e gravida maturos vite racemos
  Pampineaque hilares cingere fronde comas:
Quo tibi mens fuerat; poteras convertere gressus
  Seu rheda ardenti seu modo vectus equo,
Vel coleres urbem, coleres vel dulcia rura
  Pervasere animum gaudia multa tuum.
Excessere dies, grato solamine mentes
  Qui afficerent, tardo nunc pede venit hyems.
Cogeris antiquo rursus te includere ludo,
  Te ad pulchras artes docta Minerva vocat.
Vade age quid dubitas campo te immittere aperto;
  Exiguus referet proemia summa labor.
Tranquillae exoptas felicia commoda vitae?
  Grata aderit multo parta labore quies;
Fama animum tangit? Vivax in saecula nomen,
  Vimque auri, et gemmas Pallas amica dabit.

Haec juvenum mentes praeceptis imbuit almis
  Et veri tutas edocet ire vias.
Quid juvat assiduis ludis insumere tempus ?
  Languent per longas otia tracta moras.
Quidve voluptati fraenum laxare? voluptas,
  Si sapis, hanc fugias, empta dolore nocet.
Haec properat laesura animum, cui coelica origo
  Tinctaque lethali spicula felle vibrat.
Particulam divinae aurae ad sublimia natam
  Lurida coenosae figere quaerit humi.
Si sapis, hanc fugias, forti et virtute repellas.
  Et tua sublimis pectora tangat honor:
Et doctas invade vias. Sapientia mentem
  Ornet: celsa Sophos gloria consequitur.
Quae bona dat mundus, fugiunt pernicibus alis:
  Quae bona dat virtus, non rapit ulla dies.

ELEGIA XLVII.

De Divo Alexio

Tam bene Romana collucet Alexius Urbe
  Ut quoque Pieridas ad sua festa vocet.
Sanguine resplendet claro, virtute sed alma,
  Moribus et puris clarior ipse nitet.
Edocet hoc conjux tristi confecta dolore
  Casta suis lacrymis pectora fassa viri.
Cum subit illius funestae noctis imago
  Huic cum supremum tempus in urbe fuit.

Sperabat nova sponsa frui sociata marito:
　Sed vidua heu remanet: diffugit ille procul.
Et navim moderante Deo, trans aequora vectus
　Ad Syriae venit littora solus inops.
Vivere at haud potuit vastis ignotus in oris
　Ejus enim dotes nuncia fama canit.
Undique digna piae resonant praeconia turbae,
　Ac omni magnum nomen in ore sonat.
Hos inter plausus formidat maximus Heros
　Eximias laudes mens bene cauta timet.
Aufugit, et rursus colles tenet iste Quirini,
　Et decus evitans lucet in Urbe magis.
Obvia Roma gradus propera, natumque revisas,
　Nulla hic antiqui signa decoris habet.
Hunc toga non ornat, renitens insigne perosum
　Hic pedibus nudis compita lata premit.
At Pater occurrit, miseri pietateque motus
　Confectum macie sub sua tecta trahit.
Cor dulci trepidat motu, tacitaque loquela
　Ostendit patri pignus adesse suum;
Et lacrymas etiam fudit, coelumque precatus
　Te sonitu tristi dulcis Alexi vocat.
Sedibus in patriis, homines ubi pace fruuntur,
　Poenarum hic contra pertulit omne genus
Hic Dominus servos convicia crebra cientes
　Sustinet, et magnas indiget inter opes.
Filius hic audit tristes deflere Parentes,
　Dum natum amissum nocte, dieque gemunt.
Hic Sponsus Sponsam curarum pondere mersam
　Conspicit et paucis membra levare cibis.

Dulciter exclamat, dilecte revertere Alexi,
Ad Sponsae amplexus, dulcis Alexi, redi.
Heu nimium miseranda dies: ehu quidquid ab illo
Profluxit vitae tempore poena fuit.
Gaudia nulla mihi, nullum solamen amanti
Restat adhuc, moeror, curaque pectus habent.
Tu solus relevare potes, Matremque Patremque
At semper constans, semper Alexi, taces:
Tu sponsae lacrymas tristes detergere posses
Has tua sed numquam tergit, Alexi, manus.
At tu non triplici cingis praecordia ferro,
Nec dicam silices pectori in esse tuo.
Percipit heu nimium gemitus, et condolet ipse,
Et curas, perfert, moestitiamque trium.
Et modo solari vellet, modo poenitet: inter
Tot varias poenas non datur ulla quies.
Perstat at immotus divo fulcimine nixus,
Ut perstat quercus firma, furente Noto.
Ut rupes immota manet latrantibus undis
Sic stabile, et firmum cor tenet usque suum.
Hinc bene Romana collucet Alexius Urbe
Hinc quoque Pieridas ad sua festa vocat.
Sed taceant Musae: nam claro ex aethere celsa,
Ejus virtutes vox modo lapsa docet,
Ostenditque locum, fessas ubi funere luces
Contexit Patriae fama, decusque suae.
Illuc concurrunt omnes illumque jacentem
Sub scala aspiciunt scripta tenere manu.
Sollicitus Genitor tentans haec vellere, numquam
Fit potis: antistes sed sacer illa capit.

Illius hinc ortus, mores et vita patescunt
  Omnes praeque gravi turba stupore tacet.
At quis nunc quaerulos fletus narrare parentum
  Mixtaque cum lacrymis oscula plura potest?
Quis poterit Sponsae tenerum nunc pandere amorem
  Dicere quis curis gaudia juncta feris?
Interea totam baccatur fama per urbem
  Devoto ac ejus carmine gesta canunt.
Vos quoque nunc citharas, plectrumque resumite
  Ac Heroa pium tollite ad astra modis. (Musae

ELEGIA XLVIII.

Egyptum fame pressam sublevat Joseph
Ut Stephanus Bellini Episcopus Recinetensis
suam Dioecesim

Fructibus haec ne potens tellus, atque ubere glebae
  Haeccine quae ridens incolit arva Ceres?
Hic ubi faecundos ornabat adorea campos
  Imperio tristi regnat acerba Fames.
Insaturata fremit, tenues populatur aristas
  Vixque emissa truci gramina dente vorat.
Haud secus Arctoo languet sub sidere tellus,
  Haud secus Australi deficit igne solum.
Agricola heu frustra terram proscindit aratro,
  Heu frustra ingratae semina mandat humo.
Pro Cerere optata, steriles dominantur avenae
  Et frustra sitiens supplicat herba Jovi.

Gens Pharia heu languet tristi decepta labore
  Surdaque moerenti concitat astra prece.
Aspiceres aegras passim discurrere Matres
  Cum sibi, cum natis deficit esca suis.
Dira fames, sternitque viros, atque exuit omni
  Robore, fitque magis languida vita senis.
Sollicitae currunt Nili prope flumina turbae,
  Nile Pater clamant jugera , Nile Pater,
Obrue frugifero cornu; te vota, precesque
  Tangant: arva reple gurgite Nile Pater.
Fertilitas tandem redeat felicibus arvis
  Nile Pater, cessas? nos rapit una dies.
At frustra ingemitus moerentia lumina solvunt:
  Suprema Nilus lege coercet aquas.
Quid faciant miserae tanto in discrimine gentes?
  Quis dabit horrendae prompta alimenta Fami?
Nilicolae tristes jam jam depellite luctus
  Discedat trepido cura timorque sinu.
Quis vobis, quis nam rebus succurret in arctis?
  Qui finem ponat questubus unus adest.
Qui vir divina penetravit somnia mente
  Hic vobis prompta fert alimenta manu.
Currite Nilicolae, Joseph nunc poscite gentes
  Per Joseph vobis horrea plena patent.
Ricina proh felix! Joseph tibi praesidet alter
  Auxiliumque tibi qui ferat alter adest.
Plaudite io miseri, vexat quos aspera egestas,
  Plaudite, nunc laetos fundite ab ore sonos.
Providus hic pressos alieno vindicat aere
  Hic viduae afflictae mite levamen erit.

Currite festantes ad sacri limina Joseph,
Non tardas apto hic flumine spargit opes.
Orphana turba tuo Pastori posce levamen,
Motibus en cordis paret amica manus.
Huc omnes currant tandem quos aspera fati
Sors divexat, opes omnibus iste dabit.
Ricina plaude, orna ridenti tempora serto
En tibi fausta magis surget ab axe dies.
Oh memoranda dies nitido signanda lapillo
Praesulis ut nomen Fama loquatur anus.

ELEGIA XLIX.

Versio Psalmi LXXIX.

Qui regis Israel intende.

Qui regis Isacidas, precibus nunc annue, Joseph
Qui ducis, veluti Pastor amicus oves.
Oh Jacob natis vultus ostende benignos,
Qui Cherubim supra terga corusca sedes.
Ut nos blanda salus foveat, requiesque gementes
Eja extende manum, Prosper ab axe veni.
Errones converte Deus, nos respice vultu
Propitio, tum nos turbida nulla prement.
O Deus Omnipotens an semper ferveat ira?
Rejicies humiles durus an usque preces?
Nos lacrymis semper pasces, nullumque levamen
Ni lacrymas poterit saeva referre sitis?

Eheu finitimae surgunt in bella phalanges,
Atque tuo populo, te duce, damna parant.
O Deus Omnipotens natos converte dolentes,
Si faciem ostendas, protinus inde salus.
Cara tibi Phariis trasvecta est vinea ab oris,
Et longum felix, te duce, fecit iter.
Teque serente, solo firmis radicibus haesit
Post tna quam gentes dispulit inde manns.
Multiplici foetu terras se exteudit in omnes,
Inseditque altis nobilis umbra jugis.
Procerasque cedros supra se arbusta tulere
Flnmina dum tetigit palmite, et arva maris.
Decolor oh quantum nunc est, quam versa repente
Sors laeta, heu ruptis cur Deus aggeribus
Cur heu nunc quisquis populatos diripit antes?
Omnibus in praedam semita vasta patet.
Bellua portento similis disterminat aegram,
Fnlmineo et sternit dente timendus Aper.
O Deus Omnipotens nostris convertere votis;
Atque ocnlos tangat vinea moesta tuos.
Respice de Coelo, divos nunc exere vultus,
Oreque sit snrsus vinea laeta tuo.
Quin opus aethereae, precor hoc, nunc perfice dextrae
Sit precibus felix, sit precor illa meis.
Quae tibi si viles, hominis nunc aspice Prolem
Aeternam, virtus quam tua semper alet.
Omnia quae diris flammis, vel perdita ferro
Alto si increpitans vox tua ab axe sonet,
Vanescent luctus, subito vigor induet antes,
Laetaque prorumpet palmite gemma novo.

Filius ille hominis meritis te poscit opimis,
　Illius ah meritis annue, dive, precor.
Ille ut fidus erit tua post vestigia, nostra
　Jussibus haerebunt usque ita corda tuis.
Non pes discedet divina a lege rebellis
　Te vitae fontem gloria multa manet.
Casibus in dubiis, vel dum fert vela secundus
　Ventus, erit Nomen semper in ore tuum.
O Pater Omnipotens converte rebellia corda
　Si nos respicias, protinus inde salus.

ELEGIA L.

Epistola consolatrix pro infirmitate Patris gravissima.

Hei mihi quis tristes modo nuncius impulit aures?
　Confectum morbo procubuisse Patrem.
Ille Pater, tanto quem tu veneraris honore,
　Ille tui cordis cura, levamen, amor,
Ille jacet, vitaeque subit discrimen acerbum,
　Et jacet effaeto corpore mentis inops.
Temperet a lacrimis heu quis, dum falce minatur
　Crudeli stamen scindere Parca manu?
Testor, Chare, Deum tantum me ferre dolorem
　Ut lacrimae ex oculis fluminis instar eant.
Ex quo vitales ingressus luminis auras,
　Haud similis fregit barbara poena sinum.

Tu quid agis, quid mater agit moestissima conjux,
Eheu par vestro quis dolor esse potest?
Mi videor quaestus audire, et cernere vultus
Pallentes, lacrymis naufraga et ora tuis.
Metiri ex nostro fas est qui vestra cruentat
Corda dolor, gliscit hinc mihi amarities.
Attamen ingentem studeas compescere luctum
Quin prosit Patri, te tua cura necat.
Spes etiam foveat felici nectare pectus,
Quod patri misero sit reditura salus.
Durat in extremum facilis Dea, cordaque mulcet.
Aura levis vitae dum manet, illa manet.
O quoties nigri conspexi e faucibus Orci
Confectos homines, convaluisse statim.
Immineat quamvis immiti turbida falce
Mors, tamen haud vitae fila recidit adhuc.
Forsitan aut herbae poterunt, aut docta medentum
Immanes vires frangere cura mali.
Forsitan et votis aderit ferventibus Axis,
Quae fundit miris anxia turba modis.
Ille inopes patrio relevabat pectore, multas
In miseram turbam fundere suetus opes.
Haec superum Patrem votis, lacrymisque lacessit,
Non Deus effusas respuet aure preces.
Non illi durum munit praecordia ferrum,
Quin miseris promptum ferre levamen amat.
Cum tot divinam Pietatem suplice poscant
Voce, quod oramus, forsitan ille dabit.
Oh adsit jucunda dies, lux candida Coelo
Eniteat, Patri laeta futura dies.

Cum morbo expulso redeant in pristina vires ,
Jamque evanescens pectora robur alat.
Oh mihi jucundam lucem, qua pectore fido ,
Reddetur summo gratia summa Deo.
Hoc spero, hoc animis , votisque ardentibus opto,
Eveniet: laevo, cernis? ab axe tonat.
Ille inopum fuit usque Parens, inopumque Parenti
Nunc vitam aeternus donat habere Pater.

ELEGIA LI.

De Divo Joanne Gualberto.

Vindictae insanum monstrum rea conterat arma
Gualberto victas en dabit illa manus.
Virtutemque viri stupefactae ex aethere cernunt
Angelicae turbae : serta dat ipse Deus.
Plaudite laetantes festivo carmine Musae ,
Et gratis numeris Pieris ora sonet.
Irruit ille ferox insana concitus ira
Ignescunt oculi , corda furore tument.
Freta armis, animisque potens huic effera turba
It comes, horribili sunt loca plena metu.
Fulmineum rotat ille ensem, totamque pererrat
Urbem , ac ingentes parturit ira minas.
Turbidus exclamat ; nunc saevus concidet hostis,
Ensis hic infami sanguine tinctus erit.
Perfide; crudeli stravisti funere fratrem
Planges informem triste cadaver humum.

Insepulta ferae laniabunt viscera morsu :
  At sunt haec animis verba minora meis.
Te teneo , diro pectus mucrone resolvo,
  Gaudet et indigno sparsa cruore manus.
Flamma velut victrix immissis plurima ventis
  Per vastos campos exitiosa furit;
Sic ruit: incautum cum tandem repperit hostem
  Et spes propitiae non datur ulla fugae.
Exultat, rapitur : plantis ira addidit alas
  Laetitia mixtus prominet ore furor.
Distringunt ferrum, miserumque ad funera poscunt,
  Ut timidum invadunt monstra cruenta pecus.
Heu, heu quid faciet, qua vi, quibus audeat armis
  Tutari infelix turgido ab hoste caput?
Ingens sollicitum pectus circumstetit horror,
  Genua labant , certam sentit adesse necem.
Brachia protendens tum vero exterritus, amens
  Gualberti supplex procidit ante pedes
Forte dies aderat, summi qua rector Olympi
  Vitam pro diris hostibus ipse dedit.
Parce miser clamat, vitam largire precanti
  Pro me nunc veniam postulat ecce Deus,
Cumque sacrum pro te profuderit ille cruorem
  Id tu illi duro corde negare potes ?
Constitit audito Gualbertus nomine Christi ,
  Jamque quod incepit gratia complet opus.
Insurgunt frustra stimulis pungentibus irae ,
  Pectore de placido cogitur ire furor.
Exuit hostiles animos , ferrumque recondit,
  Iramque expellit coelitus ortus amor.

Atque hostem subito cupidis amplectitur ulnis
   Fratre ait extincto, tu mihi frater eris.
Nec mora: procedunt vicini ad limina Templi
   Quos junctos cernens inscia turba stupet.
Accidit en autem visu mirabile monstrum,
   Christi Gualberto flectit imago caput.
Ille stupet, lacrimisque sinus implevit obortis,
   At mens fervescens majus anhelat opus.
Militiam linquit, Domini pia castra secutus,
   Claustra gradu celeri relligiosa petit.
Angelicos fido sectatus pectore mores
   Almàe virtutis praemia digna refert.
Hunc tu carminibus laetis, plectroque canoro
   Aeternumque simul concine Musa, Deum,
Qui largus confert sublimia munera dextra
   Nostra ubi coelestis pectora tangit amor.

ELEGIA LII.

HYMNUS AD DEUM.

In Divae Clarae contra Saracenos triumpho.

Oh qui terribili, jacularis fulmine terras,
   Et nutu frangis castra inimica tuo;
Haec tibi sacra fero devoto carmina plectro
   Fert animus fortem concinuisse manum.
Mota supercilio terra altos pandit hyatus
   Effera turgentes sorbet et ima viros.

Ventus et unda tibi parent, convulsaque perdunt
  Horribili motu marmora coeca reos.
Fata regis, coelumque tibi, tibi subdita tellus:
  Conatusque hominum, te prohibente, cadunt.
Utque tuae mage sublimis sit gloria dextrae
  Imbelles adhibes ad tua jussa manus.
Turca ferox rabieque tumens, inhiansque rapinis
  Armis invadit littora Etrusca suis.
Depopulantur agros: exundant sanguine campi
  Et mors terribili falce cruenta furit.
Caeduntur fidae violento marte cohortes
  Ausoniosque premunt barbara vincla pedes:
Expoliata suis plorant sacra templa ministris,
  Testis sacrilegi criminis ara gemit.
Anteit horribiles acies terrorque metusque,
  Immani trepidant tecta, virique tuba.
Ut rapidus fertur montano flumine torrens
  Rupto et flaventes aggere delet agros;
Sic rapitur tumidus diris exercitus armis
  Assisii, et spoliis moenia onustus adit.
Hei mihi pestis atrox miseram jam conficit urbem,
  Et tristes gemitus angulus omnis habet.
Lethifer innocuas anguis depascitur agnas
  Infractaque perit Virginitatis honor.
Suspirat conjux passis per colla capillis,
  Et sponsi deflet tristia fata sui.
Aegra parens tunditque sinus, amissaque plorat
  Pignora, quae fato mersit acerba dies.
Interea Sacra Claustra petit furiosa Caterva,
  Cum fidis sociis clara ubi Virgo manet.

Clara nitens meritis, fama super aethera nota
  Cui exornant castos lilia pura sinus:
Haerent parietibus scalae: labat impete crebro
  Janua: quid faciet intemerata cohors?
Ut cum vestigat latebroso in pumice avarus
  Fumanti et turbat vortice Pastor apes:
Illae intus trepidae frustra stridentibus alis
  Concursant pavida cerea tecta fuga,
Haud aliter Virgo tot circumfusa periclis
  Per sacras aedes anxia quaerit opem.
Neve timet vitae, sacro timet illa pudori
  Quem labe inferna perdet acerba lues.
At Clara intrepido inter saeva pericula vultu
  Extollens oculos talia voce refert.
Dive Pater, cui nostra salus, cui lilia cordi,
  Ehu nostros muros barbarus hostis habet,
Quid tua sancta fides, tua quid promissa? rapaces
  Incustoditum pascet ovile lupos.
Pastor summe, gregem tantis defende periclis,
  Non temeret sponsas pestis iniqua tuas.
Haec ait: et supero suffultum robore pectus
  Sensit, et insuetum fervida anhelat opus.
Ipsa manu casta Christi venerabile corpus
  Accipit hostiles frangere certa minas.
Nec mora... qua infrendet rabie vehementior hostis
  Panduntur portae: nil sacra Virgo timet
Summe Deus, clamat, famulas tutare fideles,
  Quas tuus eripuit de stygis ore cruor.
Dixerat: extemplo cum vox est reddita Coelo
  -- Haud timor: aeterni vos teget usque manus

Ilicet ingenti trepidarunt corda timore,
  Se dat praecipiti turba proterva fugae.
Obvolvit luces aliis nox alta tenebris
  Pars alto e muro labitur exanimis.
Tum vero exultat pia Virgo: reddere grates
  Festinat Domino, tantaque monstra canit.
Festivo plausu totus tibi concinat orbis,
  Summe Deus, fastis insonet aura tuis.
Claraque sublimi tollatur ad ethera versu
  Virtutis superae facta Ministra potens.

ELEGIA XLIII.

David Jonathae

Hanc tibi, mi Jonatha, casu perculsus acerbo
  Hanc David mittit, ferque benignus opem.
Exul, inops erro truculenti victima Patris,
  Illius atra dies fulminat ira meos.
Ut Leo terrificus rabie compulsus atroci
  Me petit, et frendens fata cruenta parat.
Nunc vafer insidiis ad mortem poscit iniquam;
  Barbara pene meum discidit hasta sinum.
Propitium Numen violentum distulit ictum,
  Sed me servatum coelitus, ille premit.
Insequitur diro per campos milite cinctus,
  Non tegit heu vitam Sylva reposta meam.
Concitat et populos qui in me coiere furentes:
  Ante meos oculos mortis imago furit.

Quid faciam infelix? dulcem sperare salutem,
Tutari et vitam barbara fata negant,
Et tremor assiduus pallentes occupat artus:
Nox haud tuta mihi, non mihi tuta dies.
Quae mea promeruit tantum quae culpa furorem?
Pectora, crede mihi, crimine nostra vacant.
In me ni tristem victoria plurima culpam
Congerit, atque oculos perculit illa Patris.
Invidia extimulat flammatis pectora taedis:
Ergo mihi insignis gloria crimen erit ?
Quod mea prostravit violentum dextra Gigantem
Quod regnum tutum, sceptra quod ille tenet,
Quod terras, urbesque infracto ex hoste recepi,
Hostiles fudit quod mea dextra manus,
Quod retuli exuvias inter praeconia turbae
Sum reus , ast tali crimine laetus ero.
At scelus hoc, Patris caeci quod suscitat iram
Hoc meriti immensi pondus et instar habet.
Per me Rex tutus splendenti regnat in aula,
Per me me Isacidas prosperat alma quies.
Hostiles acies per me formidine fractae,
Quodque potest in me fundere tela, meum est.
Sed tu, mi Jonatha, nutrit quem candida virtus,
Conjunxit tenerum quem mihi certa fides;
Tu precor avertas minitantis tela Saulis,
Et tegat insontis dextera amica caput.
Tu mihi sis clypeus, mihi tu spes una salutis,
Ah flectant rigidum mollia verba Patrem.
Quae non per me mota est, per te concidat ira
Aspiret votis mollis et aura meis.

Me perdunt rabidi furibunda per aequora venti,
  Obruit heu miseram dira procella ratem.
Cur pietas tangat, pereuntem respice amicum,
  Oh Jonatha accurras, quam potes affer opem.

ELEGIA LIV.

Ad Amicum, qui a virtutis tramite desciverat.

Cur heu praecipiti vesana in crimina cursu
  Laberis, heu animae prodigus ipse tuae!
Excipe sinceri, quae prosint, verba sodalis,
  Et vitiis cauto pectore fige modum.
Fama meas tristis nuper pervenit ad aures,
  Quae duro nostrum perculit ense sinum.
Murmure damnoso extorrem virtutis avitae
  Te canit, et rumor serpit in Urbe gravis.
Haec canit indignas noctes in lusibus actas,
  Haec canit infractae damna pudicitiae.
Haec mollis vite sordes, haec damnat opimas
  Quas tua, proh crimen! dextera fundit opes.
Singula quid referam? quo quo tua candida virtus,
  Quique erat in casto plurimus ore Pudor?
Sic cito, sic vitiis laxas effundis habenas?
  Nec tibi jam ratio, nec tibi sensus inest ?
Aspice, quos timeas, tanto in discrimine, casus,
  Et retro, ne te sorbeat unda, redi.
Fracta salus fugiet culpis protrita scelestis,
  Te manet atra lues, te malesuada fames.

Te vocat ad poenas minitantis Numinis ira,
  Igne et in aeterno dira vorago manet.
Si te nulla movent cunctae ludibria gentis
  Eja animae saltem consule, amice, tuae.
Nos manet axis: habet quot Coeli Regia pompas?
  Quoque ibi jucundo nectare corda beat?
Immortale jubar, nec deficientia justos
  Gaudia ibi mulcent tempus in omne viros.
Te petit insidiis, te cantu fascinat atro
  Mundus, quaeque tenet pocula, virus habent;
Te miser edoceat casu prostratus acerbo
  Prodigus, excessit qui a Patre mentis inops.
Hunc choreae molles rapiunt, hunc blanda Theatra,
  Hunc falsi comites, hunc furiosa Venus.
Instruit hic dapibus, plausu deceptus inani
  Mensas, hunc cantus, hunc lyra blanda juvat;
Infelix? que dira parat sibi crimine damna?
  Quas secum tulerat, quam cito perdit opes!
Excussumque opibus fugiunt, odere Sodales,
  Opprimit hunc claudo sed fera poena pede.
Exul, inops errat, campis se immittit apertis,
  Cogitur et rabidam pellere glande famem.
Haec bona dat fallax, haec dulcia praemia mundus:
  Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Ah surge ah cautus laqueos infringe, protervi
  Hostis praevalido robore vince dolos,
Retibus infandis veloci elabere gressu,
  Frendeat; at fidum carpe salutis iter.
Sus an amica luto te fallat, et improba Circe?
  Ah fuge, et incendat turpia corda dolor.

Dilue tam foedas lacrymoso flumine culpas
  Te vocat in tenerum nunc Deus ipse sinum.

ELEGIA LV.

In Salomonis ad Solium exaltatione

Plaudite, Judeae gentes, vos plaudite cantu,
  Concrepitet laetis quaelibet ora modis.
Texite sublimem gemmisque, auroque coronam,
  Qua tanti Regis tempora clara micent:
En properat: pulchro majestas fulget in ore,
  Quam credas magnos posse decere Deos.
Gratia quae gressus ornat, quae gratia frontem?
  Principe in excelso nil nisi grande nitet.
Laeta cohors peditum vastam discriminat urbem,
  Plurimus et celeri conspiciendus equo.
Plurima nunc sertis victaque ornata decenti
  Victima solemnes concidat ante focos.
Jucundas citharas, festivaque tympana tundens
  Laetanti resonet carmine sacra cohors.
Insilit ipse, humeros tyrio spectandus amictu
  Quem vestit magnum splendida pompa thronum.
Undique collucent pretioso lampades auro,
  Vincit Appolineum plurima taeda jubar.
Jam prorumpit io laetis e cordibus, aedes,
  Compita, prata, nemus vociferantur io.
Linguis quisque favete: Pius succedit ad aras
  Et regem exultans excipit ara pium.

Augustam sacra perfundite pallade frontem
 Quae invicto magnum robore pectus alat.
Cingite gemmato rutilantia tempora serto,
 Jam sapiens stringat fulgida sceptra manus.
Submissus terram petit: imo plurima corde
 Vota ciet, Domini fervidus ante pedes.
Hunc cingit placido Pietas firmissima vultu,
 Cumque alma niveus Religione Pudor,
Candentique fides humeros circumdata panno,
 Quique urit Patrum pectora dulcis amor.
Jam redit ad solium, sacris hic rite peractis
 Quod lance augusta temperat aequa Themis.
Vindicat haec ferro Regnantum jura potenti
 Fulminat et forti crimina iniqua manu;
Aptaque virtuti largitur praemia, et artes
 Munerat et pronos ad benefacta viros.
Dulcis adest frontem viridi Pax dives Oliva
 Quae laeto vastos ubere pascit agros.
Huic Comes egreditur faecundo copia cornu,
 Et valido rabidam conficit ense famem.
Jam fugit indignum tanto sub Principe bellum,
 Vinclisque adstrictus stat super arma furor.
Ejicit urbe metus inimica in castra fugaces
 Dum Solymae populos prosperat, alma quies.
Proh mirum! scisso rutilis sapientia pennis
 Labitur e Coelo, quodque habet ore decus!
Haec jubare aetereo Regis vivissima pectus
 Ornat, in illius celsaque mente sedet.
Quasque tulit crimen, deturbat corde tenebras,
 Et veri sanctas edocet alma vias.

Haec secum dives felicia munera defert;
Provida et immensas aggerat Urbis opes.
Salve, ter salve fortunatissime Princeps,
Concelebret laudes quaelibet ora tuas.
Te coram Reges deponent sceptra potentes
Divite et e terra munera mittet Arabs;
Inclita pervadet cunctas tua gloria terras
Paret Sol oriens, occiduusque tibi.
Salve rex, salve superi cura inclita Regis,
Quisque favet titulis, nominibusque tuis.
Tu superûm Regi condes rutilantia Templa
Incolet augustam Numen in orbe Domum.
O Salomon Rex pacis ave mitissime Princeps
Tu Domini Prolem vivida imago refers.
Quot cumulat capiti sublimes Gloria fastus
Sub tanto exulta Principe laeta Syon.

ELEGIA LVI.

Agrippina Neroni

Ultima quae scribit Genitrix maestissima nato
Jam devota neci, perlege verba Nero:
Quid dubitas? non illa dolos, mortemque minantur:
De te, crudelis, si sinis, ipsa querar.
Audiat oh tristes Matris Gens Romula questus,
Excipiat voces ultima terra meas.
Non haec, ut Pietas tandem tua pectora tangat,
Non vitae ut cupiam consuluisse meae.

Est aliqua ingrato meritum exprobare voluptas,
Sola haec de te nunc gaudia mater habet.
Si imperii tanti firmas moderaris habenas,
Si decorant saevas fulgida sceptra manus,
Muneris ista mei: queis vafris artibus usa
Infando Capiti gemmea serta dedi!
Per me tu Augusti per me tu sanguinis haeres,
Per me te obsequio maxima Roma colit.
Quid referam abreptum violenta morte maritum
Ut citius Romae jura suprema dares?
Te quoque decepi tristi, Germanice, fraude,
Perdebatque meus te simulatus amor.
Me texente dolos, promptae ad tua jussa cohortes;
Pro te sum quoties esse coacta nocens!
Interea rutilo cingis diademate frontem,
Jussibus et paret subdita terra tuis.
Ut vidi, ut sensi, fovit spes credula Matrem,
Spondebat vitae prospera cuncta meae.
At quae non cautum subierunt gaudia pectus,
Nunc lacerant miserum vulnera facta sinum.
Hei mihi qualis eras! quantum nunc versus ab illo,
Tu mihi prima quies, tu modo causa necis.
Effraenis ruis in praeceps, monitisque repulsis,
In vitium raperis perditus, inque scelus.
Mentis inops Matris, decorisque oblite tuique.
In foedas culpas, qua via facta, ruis.
Nox aegris frustra pacem mortalibus affert,
Nocturnas spargis sanguine, caede vias.
Te citharae, choreaeque juvant, te scena jucantem
Accipit, et currus cernit arena tuos.

Non haec non Matri de te promissa dedisti:
Hei mihi! quid miseram verba, minaeque juvant?
Ut frendens violentus aquis saevo impete torrens
Hoc magis insaevit, quo aggeribus premitur;
Sic tua mens fertur vitiis, rapiturque per omne
Flagitium, et Matris decutis ore lupos.
Ausus es, immani desunt sua verba dolori,
Ausus es indigno sic ferus ore loqui.
Quam pro me curam geris, hanc precor exue sce-
Me decet, et proprio ducere Marte dies. (ptrum
Jussa, tui curam tacito confecta dolore
Deposui: haec Matri praemia dura refers.
Haec? utinam scirent tantis tua pectora culpis
Sistere: quid tentant majus adorta nefas?
Ut pelagi fluctus undis praeeuntibus instant,
Sic dira urgentur crimina criminibus.
Jam fato immani periit Germanicus insons:
Intrepidoque animo vulnera iniqua vibras.
Invadis thalamos, sponsosque ad funera poscis,
Et mentem indomitam caeca libido rapit.
Exanguis pallet perfusus caede Senatus;
Quid plura heu Matrem perdere morte paras.
Quid querar hic primum? tunc in mea viscera saevis
Infamique struis proditione dolos?
Dum pacem vultu simulas, dum munera confers,
Nil postquam in Matrem dira venena valent,
Perfide tu liquidis redeuntem perdere Bajis
Tentas; at periit quod meditaris opus.
Scissa carina ruit; labentem me unda dehiscens
Pene suo mersit gurgite; tonsa caput

Pene meum fregit: vivam sed fata reservant:
  Te indignaute, poli nunc quoque luce fruor.
Quid tamen expectem, mihi quae rea fata parentur?
  Effugiam manibus perfide nate tuis?
Jam jam venturos violento suspicor ense,
  Qui membris vibrent vulnera dira meis.
Agrippina cadet truculenti victima Nati.
  Sum rea, quod peperi te, fere Nate, cadam.
At tibi pro meritis Divi, proque ausibus istis,
  Si coelo est pietas, debita dona ferant.
Te quoque, te similis maneat fortuna, cruento,
  Haec precor emoriens, percitus ense cadas.
Et careas tumulo, canibusque rapacibus esca,
  Aut tua dilanient dentibus ossa lupi;
Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine
  Moxque petam manes irrequieta tuos. (fundam

ELEGIA LVII.

Versio Psalmi XCII.

Dominus regnavit

Emicuit Domini regnum: olli gloria summa
  Olli ingens virtus firmaque pectus obit.
Sidereo hinc flagrans clypeo, et coelestibus armis
  Imperio cohibet subdita cuncta suo.
Sidera nam fixit, terras firmavit et orbem
  Quem reget invicta tempus in omne manu.

Emicuit Domini regnum, gemmataque sedes
 Sub qua tempus iners, victaque fata jacent.
Summe Deus, gratas tollunt tibi flumina voces,
 Oceani tumidae te venerantur aquae.
Dum cumulo horrisono praeruptus defluit amnis,
 Dum mare jactatis infremit aequoribus,
Te mage mirandum jactant, dextramque potentem
 Coelitus, undarum mole tumente canunt.
At tu, Dive Pater, rerum suprema potestas
 Qui cherubim supra terga corusca sedes,
Fortior auratis armis et saevior ira
 Pones coelesti sub jugo cuncta manu.
Quae jam veridico cecinerunt pectore vates
 Virtutem superam plurima signa probant.
Summo Templa, Deus, cultu celebrantur, ibique
 Sollicitas fundent thure cremante, preces,
Gens pia vota tibi fido de pectore solvet
 Dum Coelum stellas dum vehet amnis aquas.

ELEGIA LVIII.

Jeremiae luctus in Solymae excidio.

Quis cohibere potest lacrymas, quis flebile carmen
 Quis neget, in Sion dum fremit hostis atrox?
Hei mihi quid cerno? sternuntur funere acerbo
 Agmina, et infrendens ignis in urbe furit.
En infelicem fera stringunt vincula Regem
 Plebs misera infandae victima mortis obit.

Turba Sacerdotum diras raptatur ad oras,
Templaque diva suis gentibus orba ruunt.
Heu miseranda Sion, quis te quis morte peremit?
Heu scelera heu mortis causa fuere tuae?
Dum fausta integritas fida regnabat in Urbe
Pectoris innocui Pax bona fructus erat.
Illa tibi toties regnum servavit ab hoste,
Illa tibi toties clara trophaea tulit.
Me miserum! sternente cadis sub cuspide victus
Israel, atque tuo sanguine terra madet.
Undique protritae violento fulmine gentes
Occubuere; alti nominis umbra jaces.
Plango tuos casus, ingens mihi causa doloris
Israel, et lacrymis anxius ora rigo.
Quid mihi restat adhuc post tot funesta meorum
Excidia, infelix nil nisi flere lubet.
Proh dolor immanis! lugubri tegmine virtus
Cingitur, heu casus fletque reflctque tuos.
Ut ruit in campos demissus ab aethere nimbus
Horridus ac omnes depopulatur agros;
Dum sonitum accipiens Pastor dolet anxius auras
Fletibus exurdans deficit exanimis,
Deficit haud aliter mihi cor, dum milite multo
Et circumfusis ensibus ipsa ruis.
Antea per colles, per moenia, perque patentes
Numinis aeterni laus resonabat agros,
Unica nunc tristes veniunt perjuria ad aures
Triste micant ignes, triste catena sonat.
Sed me confectum species lugubrior angit,
Infidi Eufratis te manet unda ferox.

Quot scelerum pestes foedis dominantur in oris!
  Quae tibi tunc circum surget iniqua seges!
Illic gens turpis vesano capta furore
  Infames placat sanguine, thure Deos.
Ah cave, ne exemplum perdat te tristius, et ne
  Disperdat Dominus nomen ab orbe tuum.
Perversas inter gentes, arasque nefandas
  Infixus justo sit tibi corde Deus.
Haec precor eveniant, Domini placabilis ira
  Tuque cades Babylon perfida. Cirus adest.
Ille tibi exolvet diras cervice catenas
  Aegra Sion: pacis munera et ille dabit.
Felix qui Babylon truculentas destruet arces,
  Natosque infames conteret ad scopulos.

ELEGIA LXI

In Funere nobilis foeminae Juliae Majoli Amiani

Mulierem fortem quis inveniet... ridebit in die novissimo
PROV. XXX. 10 25.

Quis validum inveniet muliebri in pectore robur?
  Haec est Eois gemma petenda plagis.
Hinc certa exoritur placido fiducia sponso,
  Dum pleno e cornu copia multa fluit.
Haec lanam, et linum quaerens data pensa puellis,
  Huic operi ingenuas applicat ipsa manus.
Navis ut extremas tendens orientis ad oras
  Optatas multo foenore acervat opes;

Haec ita longinquis referens compendia terris
  Exultans reficit tegmine, pane suos.
Byssus et effulgens ardenti murice vestis
  Matronae insignis corpora pulchra tegit.
Infracto huic cingit Virtus adamante, virile
  Pectus, et exornat membra venusta Decor.
Si fera mors properet tenebris circumdata opacis
  Et sibi supremam cernat adesse diem;
Nil pavet intrepidum pectus, quos evibret, ictus:
  Quin hilari dulcis risus in ore sedet.
Unde haec tam fortis mulier? Tu, Julia, cunctas
  Has dotes divo robore fulta refers.
Ast alii tollant praestanti in corpore formam,
  Miraque adnexam laude pudicitiam,
Concelebrent vigilem dilecta in Pignora Matrem,
  Et quae in Te micuit provida cura domus:
Virtutesque alias, queis inclyta tendis ad astra,
  Et meritis radians omnia corda rapis.
Me tua mors tangit. Florentem aetate malorum
  Ehu dolor! incubuit Te super atra cohors.
Mens refugit meminisse: abiit corpusque colorque,
  Languida febrili membra calore labant.
Morbidus incessit, serpitque per ubera cancer,
  Ubera nunc lapsa candiora nive.
Nec sat: molle jecur tabo quoque conficit acri,
  Et ferus exagitat viscera torta dolor.
Nititur incassum doctorum cura medentum,
  Morbus apollinea quin magis arte furit.
Non tibi blanda dies; noctes vigilantur amarae
  Nec levis in misero pectore somnus adest:

Conspicis ehu! dulces animas Natosque, Virumque,
Dum lacrymae ex oculis fluminis instar eunt.
Circumstant famuli tristes, famulaeque dolentes,
Urbs tota et gemitus, Te percunte, ciet.
Sola animo assurgis firmo celsae aemula palmae
Exeris et vires quo mage pressa tuas.
Ad Coelum supplex ardentia lumina tendis,
Et tibi propitium robur ab axe venit.
Dulcibus a Natis Sponsoque avellier ingens
Poena; tamen vinci nescia major ades.
Dumque alii lacrymas fundunt et vota precesque,
Gaudes tot diris insuperata malis.
Rid enti vultu, tranquillo, et corde gementes,
Afflictumque levas, qua potes arte virum.
Consortem thalami teneris amplexibus ambis.
Ehu miser? amplexu solvitur ille tuo.
Ultima defigis maternis oscula labris,
Oscula proh natis non repetenda tuis.
Quid tibi tunc animi? Tua vis Crux alma, Deusque:
Hanc stringis moriens deficiente manu.
Fractae deficiunt confecto in corpore vires;
Sed mage robustus spiritus inde viget.
Linquenda est tellus, Proles, Conjuxque Domusque,
At Te victricem quanta corona manet?
Caligant oculi, solvuntur frigore membra:
Tu vita exardes nobiliore frui.
Dum mors dira fremit, rides vultu ipsa sereno;
Panditur en Coelum, fortis ad astra volas.
Vos, teneri, Pueri lacrymas cohibete fluentes;
Vestra nimis felix regnat in axe Parens.

Tu, Stephane, ingentes animi compesce tumultus,
  Coelesti in patria Julia ridet ovans.
Vos teget illa. Deo charissima Nupta, Parensque,
  In Sponsum et Natos pulchre ibi gliscit amor.
Ingenui Pueri, fortem celebrate Parentem:
  Tu fortem Sponsam, Vir bone, concelebra.
Matronae forti, Fanestres dicite laudes:
  Risit in extremo nil labefacta die.

EPIGRAMMA

In eodem subjecto

Julia, nuptarum primum jubar, aspice quantus
  Conficiat Stephanum nocte, dieque dolor:
Haud secus Aemoniae viderunt Orphea Silvae
  Dum moeret rapta flebilis Eurydice.
Julia, tu dulces inter dulcissima matres
  Aspicias Natos pignora blanda tuos.
Quos prius admotos ulnis, vultuque fovebas,
  Nunc Matrem ehu! frustra corde tremente vocant.
Hos tu dum cernis rutilo sublimis ab axe
  Progeniem Mater protege, Nupta Virum.

EPIGRAMMA

In Funere Nobilis Foeminae Clorindae Toriceliae

Quae, Clorinda, tibi nectit pia serta Metaurus
Excipe, virtutis sunt simulacra tuae.
Et licet aethereis flores legis inclyta in hortis
Ne temnas, noster quos tibi praebet amor.
Immortale decus meritae tibi destinat aether:
Te evellet nostro pectore nulla dies.

Versione del Sonetto del Filicaja

Italia, Italia, o tu cui feo la sorte

Ausonis ora, cui lugubria munera formae
Sors tulit, unde ferax in tua damna seges,
Queis tibi moerenti curas aucturus acerbas.
Efferus insculpsit tempus utrumque dolor;
Oh utinam vel pulchra minus, vel fortior esses,
Ut gravior terror, vel minor esset amor
Agminibus diris, formae quae visa repente
Lumine capta, tamen in tua fata ruunt.
Armorum illuvies haud nunc effusa per alpes,
Sanguineusque iret gallica in ora Padus.
Nec tibi praesidio ad pugnam vis extera inermi,
Aeterno victrix victa premenda jugo.

Versione del Sonetto del Zappi

Ardo per Filli, ella non sa, non ode

Phyllida depereo: nescit, non percipit ignes
Ipsa meos, constans me tamen urit amor.
Non peto lenimen: mihi sunt sacra lumina cordi,
Nec me flamma, sinum fama, decusque movet.
Phyllida amo, quamvis fatis melioribus usus
Hanc sibi solemni foedere jungat amans.
Sublimes inter dotes dos ultima vultus;
Nec mea in alterius vota feruntur opes.
Pectoris huic licet, et flos oris decidit, urar;
Unica forma animum non peritura rapit.
Haec cara; exuvias tegerent et si horrida saxa
Tunc etenim forma splendidiore fruar.

Versione del Sonetto del Zappi

Quel dì, che al soglio il gran Clemente ascese

Vix triplici Clemens cinxit sacra tempora serto
Tibridis ex alveo fama sub astra volat.
Laetificam intendit vocem; Polus audit uterque
Quodlibet hoc tempus grande movebit opus;
Ausoniumque axem alloquitur: nunc desine tandem
Horrere instructas in tua damna manus.
Post Thamesia petit et clamat: felicibus oris
In solium redeat, decidit unde, Fides.
Hinc Thraces; laetaque tuba: turba impia reddes
Divinum tumulum; nunc ego certa loquor.
Tybris habet reducem: pudet hanc sed, maxime
Dicta tuis curis dum superata videt. (Pastor,

Versione del Sonetto del Zappi

Invan resisti: un saldo cuore, e fido etc.

Niteris incassum: casti vis irrita cordis,
Muniat hoc quamvis duro adamante Pudor.
Cede meis votis, aut hic te funere perdam,
Cuspide sublata tristis adulter ait.
Quin tecum servi jugulum mucrone resolvam,
Utpote in infami corpora prensa toro.
Juppiter... exululans clamat fidissima Conjux,
Excipit at nullas Juppiter axe preces.
Tantum passa nefas quid agit Lucretia? diro
Pectora transadigit vulnere, mentis inops.
Non morte eluitur, vitandum funere crimen
Stulta haud effugit corde, sed ore scelus.

Versione del Sonetto del Zappi

Che far potea la sconsolata, e sola etc.

Heu quid sola gemens, tantoque infracta periclo
Quid Collatini foemina tristis agat?
Quod superest miserae, fudit lacrimasque precesque,
Nil gemitus valuit, nil valuere preces.
Ut pavidam immani Vultur premit ungue Colum-
Cervicem niveam sic premit ensis atrox. (bam,
Mente animoque carens, nullo fulcimine nixa
Sola quid heu faceret turbine pressa gravi?
Nae sceleri praeferre necem, sed criminis expers,
Cum casto ferrum sanguine tinxit, erat.
Vi invitam violans Princeps culpae unicus auctor
Sons tantum insontem cum ferit, illa fuit.

Versione del Sonetto del Zappi

Chi sia costui, che in sì gran pietra sculto

Iste quis, ingenti residet qui marmore sculptus
Mole Gigas, artis splendidioris opus?
Oh motus quantum, vitae quantum instar in ore est!
Mi videor faciles excipere aure sonos.
Hic Moses: veneranda docet quae plurima mento
Canities, duplici fronsque micans radio.
Hic Moses, sacri descendens culmine Montis,
Cum magno plenus Numine vultus erat.
Sic erat abscissas suspendens aequoris undas,
Sic Phariis tumulum cum maris urget aquas.
Et vitulo erecto turba impia solvis honores?
Huic, aut quae per huic thus dare, culpa minor.

Versione del Sonetto del Minzoni

Quando Gesù coll' ultimo lamento etc.

Lamento extremo Jesus cum dura Silentum
Busta scidit montis viscera concutiens,
Semisopitus Adam, terrore, atque obsitus atro
Extollitque caput, se tulit inque pedes.
Turbatos oculorum Orbes tulit omnia circum,
Quos premit incertos hinc stupor, inde pavor;
Atque animi trepidus quisnam foret, ille poposcit,
De cruce pendebat qui lacer exanimis;
Conscius, et frontis rugas, canosque capillos
Foedat, et hirsutas ungue dolente genas:
Flens Hevam alloquitur: totus mons voce remugit:
Heu Dominum morti, te stimulante, dedi.

Traduzione del Sonetto

Poichè dell' Empio Trace alle rapine

Austriacum pallens Heros vix Sarmata diris
E Tracum praedis abstulit imperium,
Et tandem secura magis, metuandaque victor
Reddidit Augusto, sceptraque Pontifici;
Huc propera, ut decores victrici tempora lauro,
Dicebat summo Tybridis unda Duci.
Extremum Rex magne sibi deposcit honorem
E palmis Latii nobilis ora tuis.
Non non Axis ait, fregisti qui agmina Thracum
Huc adsis, multo et sidere cinge comam.
Seligit Axis iter, nequeat cum scindier Haeros,
Et Romae pro me Sponsa triumphet, ait.

Appologus de Gallina, et Homine

Vir quidam cupiens, pullos sibi nascier, ovis
Emptis, Gallinam cuncta fovere jubet.
Hanc saepe imponit nido, blandusque precatur
Injuncto patiens ut vacet officio.
Frustra, nam petulans semper se proripit inde:
Cursitat, et ludos quaeritat atque procos.
Instar sponsarum multas quas nostra dat aetas,
Queis invisa Domus, quoque vetantur, eunt.
Ova hinc ne pereant Gallinae munere fungi
Cogitat, et bracas exuit ipse sibi.
Incubat hisce diu, nascuntur denique pulli,
Perficit et natibus, quod negat illa, suis.
Quid rides? raro dabitur tibi habere, quod optas,
Per te ni facias, quae facienda jubes.

CARMINA LIRICA

ODE I.

In Reditu Eminentissimi Caroli Oppizzoni

Nunc est canendum, nunc Lyra pectine
Pulsanda laeto: Praesul adest, adest
  Ornatus insigni triumpho,
  Felsineas refovetque gentes.

Plausu resultent compita, ad aethera
Oves fideles dulcisonos modos
  Tollant, et armatum rigenti
  Concelebrent adamante pectus.

Cornu superbo spumeus exiit
Gallis ab oris exitium grave
  Satisque, cultorique maesto,
  Et gregibus meditatus amnis.

Moles furenti gurgite vicerat
Firmas, revulsos straverat aggeres,
  Primosque, et extremos premendo,
  Cuncta vorat pelago sonanti.

Jamque impotenti perdita vortice
Europa fractis languida viribus,
  Non ictibus saevis resistit,
  Sed rapitur reboante fluctu.

At turbulenti fluminis impetus,
Sylvas patentes, et juga dum trahit
Nil terret horrendus, sed Arcem
Laetificat Domini potentem.

Hic vera virtus pectore aheneo
Pugnat ruinae nescia sordidae,
Superque mugitus protervos
Pervolitat rutilante penna.

Aggressus undis extima moenium
Contundit, ictus ingeminat feros:
Ast ictibus muri valescunt,
Saxa magis coeunt minaeque.

Bacchatur extra turbo furentior;
Pax dulcis intus, firmaque gloria,
Mens certa regnant, et Tonanti
Perpetuos modulantur hymnos,

Quae te nitescens, Carole, laurea
Cingit! Supremus munerat Arbiter
Te laude prima, inter valentes
Robore tu proceres refulges.

Prophana sacris texere si licet,
Ut carmen apta constet imagine,
Insanientem sic Scamandrum,
Sic domuit Simoenta Achilles.

Ast amnis horrens jam maris aemulus
Alte tumescens illuvie truci,
Exaruit rivus, putretque,
Et latitat vacua sub urna.

Cheli sonanti fundere quis neget
Melos? Quis almo solvere Numini
Grates? Quis invictam Cohortem
Blandiloquo celebrare cantu?

Te Musa dignis, Carole, versibus
Ornare gestit, dicere et uberem
Virtutis, excelsique fontem
Roboris. . at tenuare parvis

Modisne coner magna? quid ingeni
Culpa coruscas Praesulis obteram
Laudes? Apis perparva grandes
Pindaricae fuge mentis ausus.

ODE II.

Pro insigni tryumpho, quem gloriose Imperatoris Poloniaeque Acies in Turcharum Exercitum Anno 1717 reportarunt.

Musa nunc laetis numeris potentem
Numinis dextram cane! Serta fronti
Texe sublimi, superumque tolle
Carmine Patrem.

Ut ruit frendens pelago sonanti
Amnis, et campos, segetesque pingues,
Obruit plantas, revoluta torquens
Gurgite saxa;

Turcha sic ira tumidus nefanda
Austriae Regnum populatus almum
Saevus irrumpit, rabieque dira
Agmina delet.

Scuta tinnitu reboant, corusci
Fulminant enses, et imago mortis
Barbara infrendet, fera tela vibrat
Certa ruina.

Impii dictis stigiis Superni
Numinis vires, scelus oh! lacessunt,
Quis Deus, clamant, poterit tryumphis
Figere metam?

Quis? minas stultas cohibete Thraces:
Quis? Deus fulmen jaculatus axe
Dissipat vires, tonitruque diro
Concutit orbem.

Imminet clades: minitante penna
Irruit, sternit Populos protervos:
Terror invadit tumidos, et atro
Funere mergit.

Hac cruor multus fluit, hac trementes
Obruunt campos pavidos acervi:
Hac equos, illac equites natantes
Sanguine cerno.

Sic feras olim Canaan Phalanges
Sic Philisteos nece stravit atra,
Heud secus vasta nece strata vidit
Pignora Nilus.

Nunc io plaudant tibi, Rex Superne,
Austriae Gentes, tibi plaudat Ister,
Scuta dum laeta, galeasque fractas
Flumine volvit.

ODE III.

De Innocentium Caede

Quae meos terret fera scaena vultus?
Quae meas aures tuba dira frangit ?
Sanguinis multo tepefacta sordet
Flumine Tellus.

Membra crudeli lacerata ferro
Emicant, tristes volitant per auras:
Per vias cerno, per et aegra tecta
Caedis acervos.

Mater immani laniata cura,
Crinibus passis, ululatu et alto
Sauciam plorat teneram nefanda
Cuspide prolem.

Regis infandi rabidus Satelles,
Ceu lupus strages meditatus atras,
Durus insontes pueros cruento
Perfodit ense.

Non domus maesto vacat ulla luctu:
Non via: ingenti reboant boatu
Squallidi montes, resonatque matrum
Questubus aether.

Quis feret promptum miseris levamen?
Quis valet tantos cohibere luctus ?
Dira tempestas inopina mersit
Funere natos.

Spargit infelix Rachael querelas
Brachia extendens: lacrymae per ora
Maesta dimanant, trepidà et lacessit
Voce Tyrannum.

Perfide, Hircanas feritate vincis
Belluas: caesis pueris recessit
Ille, quem poscis, diadema tutum
Cui dabit Axis.

ODE IV.

In Beatam Agnetem.

O Virgo Divo robore nobilis ,
Seu tu tyranni blanditias reas ,
Minas vel horrendas, vel acris
Carnificis superas bipennem;

Primis ab annis te pudor inclitus
Intaminato tegmine vestiit,
Et cinxit invicto tenellum
Firma fides adamante pectus.

Te, te potenti tollere carmine
Mens gestit. Adsis : sedibus aureis
  Descende: te exoptant fideles,
  Et nitidas celebrare palmas.

Non sic repenti concita gaudio
Stipata multis agminibus, sinu,
  Vultuque laetanti nitentem
  Ad thalamum nova sponsa tendit;

Ut tu sereno pectore gestiens
Tormenta forti poscis anhelitu,
  Interque plorantes catervas
  Intrepida, illabefacta gaudes.

Tortoris atri dextera concidit
Artus tenellos cuspide verberans,
  Tu firma, tu fortis labantem
  Carnificem relevas in ictum.

Virtus micanti candida tempora
Cingit corona, laetaque spiritum
  Excepit invictum, Polique
  Ingrederis celebrata Sedes.

Oh! qui tryumphus, palmaque fulgida
Te exornat inter virgineos Choros,
  Ac inter amplexus beatos
  Numinis alma quies fovebit!

Oh vive felix, vive, diu meis
Amica votis: da sacra lilia
  Servare Coelestis Pudoris,
  Da Stygias superare fraudes.

ODE V.

In Domini Resurrectione.

Abite luctus, cedite pectore
Tormenta: Christus lumine fulgido
  Ornatus infernis ab umbris
  Explicuit sua victor arma.

Aurei coruscant vertice in inclita
Crines: coruscant Frons! Oculi, Genae:
  Divina Majestas, Decusque
  Dulce sacram faciem coronant.

En Numen auras ingreditur: fragor
Saevos ministros impetit, et solo
  Prosterit exangues, trisulco
  Fulmine, ceu labefacta quercus

Ducit ruinam: sub pede conterit
Orci catervas edomitas, nigram
  Mortemque, telis falce fractis
  Tergora post manibus revinctam.

Adsunt superni Coelituum Chori,
Et plectra tundunt pectine eburneo,
  Divique Victoris beatis
  Concelebrant numeris tryumphum.

Tegmen hirsutum tegit alma Vatis
  Membra: resplendet rigido sub ore
  Alta majestas: veneratur ultro
    Amnis, et unda.

Insidens curru rutilante fatur:
  Terra proh felix! iterum redibit
  Eliae virtus, meus has reviset
    Spiritus oras.

En Palestinos Populos Joannes
  Corda jam fervens supero calore,
  Sit puer quamvis, tenebris fugatis
    Lumine donat.

Ille Divinum praeit ecce Solem,
  Mox viam sternet, rigidisque fulgens
  Moribus, vivo luet impudicas
    Flumine sordes.

Hujus adventu tremefactus error
  Se fugae immittet; renitentis Aulae
  Exprobans mores referet decoram
    Funere palmam.

ODE VII.

In Virginis Conceptione.

O virgo multo tempora sidere
Quae Diva cingis, fas mihi lucidum
  Ab hoste, quem ducis, tryumphum
  Blandisono celebrare plectro.

Te vidit acri lumine perfidus
Orci tyrannus, bileque fervidus
  Irrumpit horrendo volatu
  Fulmineis minitatus armis,

Foedumque virus gutture, et igneos
  Vomens vapores te petit: impotens!
  Mucrone flammanti repressit
  Dux Michael furibundus hostem.

Det terga promptae, det trepidus fugae
Fatale portentum: ingruit, ingruit
  Dux fortis, et dextra potenti
  Hunc validis cohibet catenis.

Frustra lacertos excutit impios
Et vincla rodit dentibus irritis,
  Vis diva frendentem coherect,
  Grande tibi Mulier tropheum!

Te laesit horrens, et tibi debitas
Dat ille paenas: tu pede conteris
  Invicta cervicem cruentam
  Frangis, et inviolata cornu.

Oh! quae nitet Victoria! plausibus
Exultat aether; plausibus insonat
  Natura, longos et dolores
  Corde fugat, rigidasque curas.

ODE VIII.

In Eversione Jerusalem Jeremiae Planctus

Heu Sion! tristes lacrimae per ora
Defluant! eheu Solimas! potentes
Destruit turres, veneranda templa
Barbarus ignis.

Maenia heu! quanto trepidant tumultu!
Corruunt muri superante flamma,
Volvitur maesta face mixtus atro
Pulvere fumus.

Patria infelix! fera quae ruina
Sorbet ingentes titulos, et altae
Gloriam gentis: premit insolenti
Te pede victor.

Te gravat diris Babylon catenis:
Aegra ad Euphratis traheris proterva
Littora, et nostris dominatur oris
Squallidus horror.

Quae caput fulgens super una cunctas
Extulit gentes, manibus revinctis
Ante victorem graditur dolenti
Tegmine cincta.

Heu! Sion! longi mihi causa fletus,
Te Deus justo quatefecit ictu,
Haec tibi infandum peperit scelestae
Proemia crimen.

Quis tibi fractae dabit heu lavamen ?
Quis graves solvet manibus catenas?
Te super quisquis miseram nefando
Sibilat ore.

Civitas, dicunt, rutilans decore
Haec? Decus priscum retinens in auras
Gloria excepit? cohibent gementem
Barbara vincla.

Oh dolor mordax! pudor oh molestus!
Ah Sion! culpas abigas scelestas,
Saucia et curis prece posce pacem,
Posce salutem.

ODE IX.

In Pii VII. Summi Pontificis insperato reditu.

Erumpat acri carmine Spiritus:
Ad astra gratum, Calliope, melos
Effunde rectoremque Summum
Aonio modulare plectro.

Regnare vasto quis neget Aethere
Numen: Scelesti credite: turbidas
Fraudes, et inferni ruentis
Axe dolos, rabiemque frangit.

Heu quot tumultus, vimque furentium
Jactata Petri per maris horridas
Syirtes tulit Navis fatiscens,
Terribili, et peritura fato!

Malum labantem percutit Affricus
Vulsosque remos aequore dispulit
Insana tempestas, rudentes
Discidit indomitoque fluctu.

Urget carinam mergere: sed potens
Sui furenti Navita turbini
Resistit unus, vimque diram
Nil trepidat minitantis Orci.

Qua fluctus horrens saevior infremit,
Hac Rector almus firmior exerit
Vires: micat Coelum coruscis
Ignibus: unda vorax abyssum

Pandit dehiscens: exitium imminet
Praesens: tremiscunt corda, sed acrior
Ille instat, infrendensque tutam
Per pelagus regit usque Navim.

Regnare numen, quis neget aethere?
Fluctus residunt: sol micat aureus,
Ventique ponunt: En triumphat,
En Pius, ingrediturque portum.

Gentes fideles solvite carmina,
Nautaeque summo plaudite: quis modus,
Aut quis pudor tardat? recepto
Dulce mihi furere est Parente.

ODE X.
Trenodia I.

Hostis infrendens rabie nefandam
  Injicit dextram, nihil heu relictum!
  Divites sedes spoliat, rapitque
          Fulgida templa.

En fame languet laniata atroci
  Gens, cibos frustra petit; insolenti
  Rejicit fastu lacrimas, precesque
          Barbarus hostis.

Ipse opes poscit, nitidasque gemmas,
  Ipse pro vili dape poscit aurum,
  Oh Deus, tristem maciem, ferumque
          Cerne dolorem!

Oh! pedes paulum retine Viator!
  Respice: ingenti dolor an dolore
  Major hoc detur? miseram cecidit
          Turbine Numen.

Opibus dirum jaculatus ignem
  Rete tum pandit pedibus, retrorsum
  Impulit, saevis laniata curis
          Fata lacesso.

Crimina insurgunt, scelerumque collum
  Opprimunt languens juga saeva: virtus
  Deficit: numquam (jubet Axis) hostis
          Vincula solvit.

ODE XI.
Trenodia II.

Heu Fatum! heu miseram! Dextera Numinis
Horrendo tonitru concutit aethera,
Et tam clara prius fulmine filiae
Syon moenia disjicit.

Infrendensque furor turbine corripit
Jam devota neci corpora barbarae:
Fundamenta quatit: diruta civitas
Alto culmine corruit.

Diris vulneribus vulnera congerit,
Evulsasque fores disjicit, et solo
Infigit trepido, vortice turbido
Vectas conterit et domos.

Dejectum Solio ferrea vincula
Nunc Regem cohibent: hostica Principes
Jam gens corripuit: lex perit, et Deus
Lumen vatibus abstulit.

Conspersi lacrimis, pulvere sordidi,
Squallentique Senes tegmine flebiles
Se stravere solo, Virgo gemens humo
Aegris vultibus incubat.

Oh luctus! lacrimis fracta perennibus
Fronti deficiunt languida lumina,
Immanisque dolor cuspide barbara
Pectus, viscera conficit,

Effusumque jecur foedaque vulnera,
Sortemque horribilem, fataque tristia
Deplorat Populi, cum puer occidit
Pendens matris ab ubere.

Oh! demersa Syon gurgite fluctibus
Culparum rabidis obruta, crimina
Tandem moesta gemas, et facilem Deum
Luctu, questubus impetres.

ODE XII.

Noemi Arca Virginis imago et Ecclesiae

Arcam natantem fluctibus horridis,
Cum terra diro gurgite mergitur,
Da, Musa, et insignem tryumphum
Aonio celebrare plectro.

Procella saevo turbine concita
Campos per omnes horrisono impetu,
Stridensque, supremumque fertur
Exitium minitata terris.

Irata notos aequora limites
Rumpunt sonanti murmure: fulmina
Ignita, praeruptos et imbres
Horrificus jaculatur axis.

Heu, heu minaci vortice verberat
Agros paventes; tectaque disjicit
Urbesque, sublimesque colles,
Aerios premit unda montes.

Quo se micanti pectore conferet,
Ut dira vitet funera, proh dolor!
  Humana stirps, et bruta, avesque
  Lethiferis pereunt sub undis.

Tu sola victrix aequoreas minas
Nil Arca palles, fluctibus innatans
  Secura, sublimique cursu
  Per pelagus fereris tumescens.

Atrae procellae, quo vehementior
Vastos per agros impetus ingruit,
  Tu firmior percurris aequor
  Turbinibus labefacta nullis.

Te summa fulcit dextera Numinis,
Salvamque tuto tramite dirigit,
  Saevamque ventorum coercet
  Vim, rabidos cohibetque fluctus.

Oh Arca felix, quae reparas genus
Mortale mersum diluvie fera,
  Spes una, solamenque atroci
  Exitio pereuntis Orbis!

Te, te canoris versibus efferat,
Tuamque certet dicere gloriam
  Tellus; rapit me vis volentem,
  Grandiloquasque petit Camoenas.

Te, te supernae matris imaginem
Dicam nefandi funera criminis,
  Quae sola, crudelemque cladem
  Auspiciis refugit secundis.

Non dulcis imber decidat aethere,
Foecundet aut ros culmina, quae super
  Hostilibus fractae catervis
  Nostrae acies cecidere fortes.

Quae me dolentem cura premit gravis!
Quis moeror ingens! occidit, occidit
  Spes omnis, et Regni corusca
  Fama, Decus, Jonata interempto.

Qua te requiram parte? quibus modis
Soler cruentae vulnera cuspidis?
  Invicte, sub telo nefando,
  Care mihi Jonata peristi.

Voces ad Aethram tollite lugubres,
Luctusque tristes, et querimonias,
  Claramque virtutem, necemque
  Perpetuo celebrate cantu.

ODE XIV.

Davidis de Goliath Victoria

Israel colles, viridesqne campi
  Pellite curas, gemitusque longos,
  Incliti, et summo Juvenis triumpho
    Plaudite cantu.

Hic manu forti Goliam superbum
  Stravit invictus, tumidamque frontem
  Contudit saxo, dedit et timores
    Spargere ventis.

Qui gravis luctus populos dolentes
Obruit! Mater trepidabat, Uxor
Squallida, et tristis Genitor rigabat
Fletibus ora.

Arduas nubes capite hic minaci
Dum ferit, nostras acies lacessans,
Miles horrebat, populique dura
Praelia Rector.

Ultima instabat miseris ruina,
Et cruor vastis revolutus agris,
Cum statim David subiit secundo
Omine pugnam.

Concidit Monstrum: tremefacta casu
Horrido tellus: fugit et procella
Imminens: Phoebus rutilante curru
Splendet ab axe.

Voce laetanti meritos tryumphos
Dicite, o gentes, citharasque laetas
Sumite, et cunctis celebretur oris
Inclita virtus.

Obviam currant pueri tenelli,
Virgines castae celebrent refulgens
Israel moesti columen, viasque
Floribus ornent.

Vosque crudeles date terga turpi
Nunc fugae, o hostes: trepidate cladem:
Victor en instat, teret et proterva
Agmina David.

ODE XV.

De Divo Petro Apostolo

Dive, quem Proles Superi Tonantis
Eligit verae Fidei columnam,
Cui gregis curam, voluitque Coeli
Tradere Claves;

Te canam laetis modulis amore
Coelico accensum, validoque pectus
Robore armatum, nihil expaventem
Barbara fata.

Saeviit dira rabie tumescens,
Vincula et saevos meditatus ignes,
Barbarosque enses Nero cuncta vincens
Monstra furore.

Ut petunt mites vitulos leones,
Singulos eheu lacerantque morsu;
Sic necem Princeps miseram fideli
Struxit ovili.

Corde tu firmo, velut atra rupes,
Fluctibus nigri pelagi resistis,
Morte et horrenda cupis immolari
Pro grege Pastor.

Dive, te pronus veneratur Orbis,
Inclitas cantu celebratque laudes:
Et tibi Numen decorat corusco
Tempora serto.

Faustus intersis Populi gementis
  Tristibus curis: prece te fatigat:
  Per fidum Ponto reboante, tutam
    Dirige navem.

ODE XVI.

Leges omnes non rectae nisi a sacra lege dimanent.

Quo feror? Nubes et aperta Coeli
  Arva percurro, celerique penna
  Mens petit Sinae revoluta divis
    Culmina flammis.

Sub pede exultat tremefacta tellus,
  Ignibus crebris jaculatūr aether,
  Adstat et natura silens, Deumque
    Prona veretur.

Alta Majestas dominatur: axe
  Advenit Numen rutilante curru;
  Et suos scriptas Moysi daturum
    Indice leges.

Has videt, plausu, fremituque gaudens
  Accipit Natura, patrique Summo
  Prona fert grates, hominesque promptis
    Advolat alis.

Quosque foetenti videt aegra coeno
  Sordidos, et quos levis inquietos
  Aura sustollit super astra, et auri
    Pondere captos

Admonet solers; sacra jura pandit
  Numinis: diras meditatur aras
  Vertere: utque uni Domino perennes
                    Dentur honores,

Clamat; Oh stulti! rea quos fatigat
  Mens, Deos falsos removete ab aris,
  Thuraque huic dentur: cadat icta sacro
                    Victima cultro.

Eja age, infames prohibete mores,
  Candida et Virtus Pietasque laetas
  Incolent terras, redeantque priscum
                    Saecula in aurum.

Hoc bibant omnes sacra jura fonte,
  Et regant mores hominum rebelles:
  Si fluat turgens aliunde, sordet
                    Unda veneno.

ODE XVII.

In Christi Crucifixione

Jesum in cruento vertice turbidis
Vidi dolorum fluctibus obrutum,
  Furesque confinos, et atra
  Carnifices rabie furentes.

Jesu? Quis acer nunc metus ingruit?
Quae cura scindit pectus, et ultimam
  Pallet ruinam? Parce, Jesu,
  Parce, gravi metuende dextra.

Sol nocte fusca, lunaque sanguine
Obscurat oris fulgida lumina,
  Montesque scinduntur, solumque
  Horribili quatitur tumultu.

Vidi Parentem robore Coelico
Adstare fultam: barbara vulnera
  Dum cernit, et funus nefandum,
  Quo periit lacerata Proles.

Vidi furenti turbine perditum
Divum cor, urget quod dolor efferus,
  Sed firmo vultu, firma mente,
  Haud gemitus dedit ore tristes.

Oh parce, Jesu! te pietas tua
Vincat: ruina non genus impium
  Perdas suprema: si cruenta
  Morte peris, opus est Amoris.

Hunc, hunc perenni tollere carmine,
Modisque gratis fas mihi, et agmina
  Infandi Averni stricta vinclis,
  Et Stigii exitium tyranni.

Orci catenas, diraque spicula
Mortis refringis, paceque muneras,
  Coeloque mortales avita
  Sorde polo, requieque pulsos.

Quamquam furoris victima concidis
Humani, et efflas funere spiritum,
  Tu fortior, tu fulgentior, tu
  Victor ovas, nitidus tryumphis.

Te vidit axis sanguine luridum:
At plausit axis; pandit, et hostia
Aurata, et ignitum parentis
Deposuit sacra dextra fulmen.

ODE XVIII.

In Laudem Virginis Carmeli

Virgo Coelesti Pietate dives,
Corde quae miti populos gementes
Sublevas, fidos superis ab oris
Excipe cantus.

Diva Carmeli, renitens honore,
Astra cui cingunt duodena frontem,
Quae premis lunam pede, quam corusco
Sol tegit auro;

Una Tu gentis bona spes, salutis
Una Tu fidum columen, precamur,
Prona ferventes populi fidelis
Excipe voces.

Cernis, ut tristes animas voluptas
Effera exurat, scelerumque pestes;
Aestus heu! perdit, vorat aestus omne
Germen, et herbas.

Axis hinc frustra pietatis almos
Expetit fructus, humus aret, arbos
Deficit languens, aconita tantum
Dat rea tellus.

Unde sic pressi violento ab igne,
Unde opem rebus miseris petemus ?
Fons aquae vivae, potes una dulce
Ferre levamen.

Respice oh! sortem rigidam, superno
Tu riga mentes, precor, imbre; pande
Tu sinus Divos, refove cadentes
Mistica nubes.

Sic et Elias super alta montis
In preces fusus tenues per auras
Prosperam vidit bene laetus Augur
Surgere nubem.

Illa proh mirum! dominata vastum
Protinus Coelum gremio feraci
In plagas siccas, sterilesque largum
Depluit imbrem.

Imbre, quo tellus rediviva, laetam
Extulit frontem, recipitque venis
Pristinum robur, licet usta ternos
Moesta per annos.

Induit gemmas, decus atque priscum
Vitis, oblitas cito vestit arbos
Jam sibi frondes, segetesque amicas
Copia fundit.

ODE XIX.

Paraphrasis - Veni Sancte Spiritus

Alme, qui Divo regis astra nutu
Spiritus, rerumque opifex supreme,
Qui Patrem summum, Genitumque firmo
Foedere vincis:

Alme, par ollis, Deus unus, idem
Trinus, excelsis venias ab oris,
Tum simul tecum populo fideli
Munera confer.

Alme, bis senos proceres replesti,
Igne qui Divo, reboante Coelo,
Cum super fidam cecidit cohortem
Coelicus ignis.

Labere, et mentes tenebris opacis
Obsitas, lucis radio supernae
Visita, et divo jubare obstinatam
Disjice nubem.

Oh! veni, et gentes inopes paterno
Corde, nunc donis repleas amicis,
Atque crudeles remove gementi
Pectore curas.

Hospes et praestans animae fidelis,
Melle qui spargis bonus usque pectus,
Qui voluplatis rabidae furentes
Comprimis aestus,

Labere oh! dulcis requies labori,
  Dulce in effusis lacrymis levamen,
  Alma lux axis, repleas tuorum
            Intima cordis.

Te sine haud quidquam valet impos Adae
  Filius, foeda nihil absque noxa
  Insidet, curae, metus acer, atra
            Culpa lacessunt.

Ah! precor, sordes animi scelestas
  Ablue, arentes supero amne sensus
  Irriga, et moesti truculenta cordis
            Vulnera sana.

Flecte quod durum, foveas quod alget,
  Devium in rectum refer oh! benignus,
  Atque septeno populos fideles
            Munere comple.

Floreat per te meritis onusta
  Praepotens virtus, placidae salutis
  Confer ad portum, tribuas perennem
            Aethere vitam.

ODE XX.

Pius VII. e Gallorum manibus eductus

Vivat extento celebrandus aevo
  Septimus celso Pius axe dignus,
  Quem Deus nigro jaculatus ignes
            Carcere solvit.

Summus antistes subiit Tyranni
Ora frendentis nihil expavescens :
Quas homo ignorat, Deus alme, pectus
Viribus armas

Ipse Gallorum validis revinctus
Nexibus, Gallos terit insolentes:
Turgidum dira velut Arca stravit
Clade Phylistim.

Vivat extento etc.

Frendet Arcturi gelidis ab oris
Nimbus armatis reboans, et armis,
Nimbus involvens, rapiensque firmas
Turbine moles.

En ferox bello properat juventus,
Quam Tagus mittit Thamesisque, et Ister,
Atque victrices Rodani per undas
Evibrat hastas.

Vivat extento etc.

Fracta Cirneum sequitur fugacem
Turba milleno metuenda cornu,
Sic Caput veri Jovis aemulator
Inserit astris.

Angelus mortis rotat ecce ferrum,
Hinc ferus stultam petit ense frontem,
Fundit atque irae calice e supernae
Sanguinis amnes.

ODE XXI.

Paraphrasis Psalmi XLVI.

Omnes gentes plaudite manibus

Plaudite oh gentes manibus, superni
Voce festiva Domini tryumpho
Plaudite, et laetis modulis resultet
Terra, Polusque:

Ipse fulgentes tenet axis oras,
Ipse sublimi solio coruscat;
Magnus is Regum dominator igne
Territat orbem.

Ad Polum celsos animos ferentes
Subjicit nobis populos, simulque
Vinculis strictas domat ipse nostro
Sub pede gentes.

Nos fovet Numen Deus ille fortis,
Scilicet Jacob pueros: in oras
Spargit et nostras sua dona: Jacob
Numinis haeres.

Subito ascendit Pater in sereno
Et Deus claro sonitu in tubarum.
Gens, Deum nostrum cane; psalle Regi,
Psalle Tonanti.

Quod Deus celsa dominatur Aula,
Et regit firma ditione gentes,
Funde laetanti sapienter ore
Carmen ad auras.

En super gentes Dominus perenne
Diriget sceptrum, Deus et tenebit
Coelicam sedem dominator altam
Tempus in omne.

Principes cuncti veniant in unum
Cum Deo Abrami, quoniam potentes
Jam Dii terrae caput elevarunt
Sidera ad alta.

ODE XXII.

Versio Psalmi X.

In Domino Confido

Spes mihi Numen, mihi fida in atris
Ancora, et fidum columen procellis,
Quid petam montes? metuam tenente
Numine terras?

Passer extenta super alta penna
Migret; haerebit meus usque pes hic,
Frendeat quamvis scelerata coecis
Turba sagittis.

Integros vitae scelerisque puros
Impetunt duri latebra e silenti:
Tu Deus testis, tua facta diro
Impete perdunt.

Et tuas leges tua jura frangunt,
Quid mali justus? Dominus superno
Enitet templo, Dominus corusco
Regnat in axe.

Quid petam montes? Oculis benignis
Si Deus clemens inopes tuetur?
Ipse mortales penetrat acuto
Lumine mentes,

Impium, et justum Deus aequus aequis
Lancibus pendit. Sceleri qui adhaeret,
Is suae vitae parat atra damna
Perfidus hostis,

En super sontes Deus imbris instar
Fundet horrentes laqueos: quid illis?
Ignis exardens, vehemensque sulphur,
Nimbus et ater,

Haec erunt illis: Deus aequus aequa
Diligit: non hinc fugiam: mihi spes
Numen, excelso solio quod usque
Respicit aequum.

ODE XXIII.

Scaevola manum imponit igni

Patria, augustum decus, atque Numen,
Inclytis natis fuit usque pro te
Dulce, et effulgens facinus, vel ipsam
Fundere vitam.

Inter Heroas celebres at aegrae
Corde qui forti patriae salutem
Inter adversas dederunt procellas,
Scaevola fulget.

Tarquini Fasces, tumidumque regnum
Porsena infensis tegis heu quid armis?
Heu nefas! cedet minitans in hostem
Romula virtus ?

Grata libertas rigidas catenas
Rupit, ac vertit solium nefandum
Impii Regis, tumidique fastum,
Nomen et horret.

Marte bellatum dubio: Quirites
Ardor incendit, stimulante Bruto:
Patriae at muris acie frementi
Imminet hostis.

Scaevola ignescit rabidos ut hostes
Pellat, et fervens animo valenti,
Occides, clamat, sat ego unus, acri
Porsena ferro.

Morte venalem cupiensque laurum,
Veste mutata subit ipse castra,
Regis in pectus cito mortis atrae
Ut vibret ictum.

Purpura hunc fallit, putat ipse Regem
Caedere, at Prorex cadit ictus ense;
Vincula hunc stringunt, nihil ipse pallet
Talia fundens.

Cerne Romanum modo, dire, civem:
Mutium dicunt: volui hostis hostem
Perdere, et saevi patriam tyranni
Solvere vinclis.

Me licet duris onera catenis
  Vel neca, en adsum: subit ora pallor?
  Victima, en adsum, jugulanda, veni
    Ut necis auctor.

Summa Romanum facere est, patique.
  Longus ast ordo juvenum manet te
  Hoc decus fulgens sibi postulantum
    Te petet unum.

Dixit, et torquens oculos minaces,
  Dum stupent omnes novitate, dextram
  Heu! male errantem sibi fortis ultor
    Concremat igne.

ODE XXIV.

Extremum Sisarae fatum.

Vis consili expers mole rui sua,
Nisusque turpes, votaque perfida,
  Queis astra, divinamque dextram
  Stulta petit, Deus usque frangit.

Quid, quid furenti pectore, Sisara,
Distringis ensem, fataque barbara,
  Luctusque, supremamque cladem
  Isacidum populo minaris?

Multisque fidens viribus agmina
Hebrea spernis, Numen et aetheris?
  Sceleste, virtutem supernam
  Disce tuo, malesane, damno.

En ille strictis involat ensibus,
Caedemque spirans infremit horridus:
Sic ungue vesanus cruento
In timidos leo fertur agnos.

Sed quid nefando posset hic impetu
Contra sonantem Numinis Aegidam?
Hic terror erumpit, metusque,
Et trepidus cadit hostis acer.

Fulvas arenas disjicit ut Notus,
Diras cohortes ira ita dissipat
Coelestis, exangues refecto
Turpe solum tetigere collo.

Pars terga vertit, cui pedibus timor
Adjungit alas; Dux ferus iufremit,
Et clamat, et pallet, labatque,
Datque fugae rea terga preceps.

Non sospes axis spicula fugeris
Ignita, turpis Sisara, falleris;
Committe nunc plantis salutem
Indecori periture fato.

Tibi jacenti perfida tempora
Clavo trabali figit humi Jael;
Dissultat elisum cerebrum
Exululans fugis umbra ad Orcum.

ODE XXV.

In reditu Divae Immaginis Lauretanae

Descende Coelo, Calliope, melos
Praedulce fundas: nunc fera pectore
  Tormenta curarum, metusque
  Trans Lybicum removenda pontum.

Antehac nefas depromere carmina
Chely sonanti, Ricineae plagae
  Cum sorte deflentes maligna
  Aetherea caruere Diva.

Urbs moesta votis icta fidelibus
Raptam gemebat littore immaginem,
  Dolorque crudeli veneno
  Pectus amans laniabat atrox.

Ibat solutis crinibus, effera
Dum damna plorat: Diva parens, redi,
  Et redde lucem, redde pacem,
  Tristis ait, Recinae dolenti.

Sat Mars cruento diruit impetu
Agros, et Urbes: Mars satis impio
  Dum gaudet infrendens tumultu
  Ausonias populavit oras.

Ah! redde pacem: lux bona fulgeat,
Caput decorum cingat adorea:
  Redi, redi: fulgente vultu
  Nostra tuo recreatur aura.

Nunc est canendum, grataque carmina
Fundenda plectro. Diva Parens redit
  Ornata sublimi tryumpho
  Sollicitosque fugat dolores.

Custode rerum Virgine, quis feri
Belli pavescat tristia funera?
  Oh! spes bona, oh! tutela praesens
  Italiae, populique fidi!

Redis, prophanos arceo: te prece
Ambit fideli, fundere gratias,
  Et gestit Urbs jucunda tanto
  Nunc iterum decorata dono.

Adsis benigno prospera Numine,
Adsis: iniquam te sceleri ocyor
  Nec tollat aura: hic, hic perennes
  Fige moras, ubi Diva sedes

Fortunat almo littora munere:
Hic Mater, et Regina velis coli,
  Nec tu sinas terras dolentes
  Mergi iterum rabidis procellis.

Clemens supremum tu tege navitam,
Luctusque diros, et querimonias
  Depelle: securus quietum
  Per pelagus regat ille Navim.

ODE XXVI.

Periphrasis - Magnificat -

Supremum Dominum tollere ad aethera
Gaudet grandiloquo carmine spiritus,
Dum cor Numen amicum
Dulci flamine concitat.

En sensus humiles, votaque fervida
Respexit famulae, qui regit omnia,
Me ventura beatam
Matrem saecula concinent.

Cui nomen decorat fulgida Sanctitas,
Exornatque manum summa Potentia,
Nostro hic plurima cordi
Clemens munera detulit.

Ille ictu horribili disjicit impios,
Dum probos pietas recreat et viris
Dextra infensa superbis
Sublimes, humiles levat.

Quos jejuna fames vexat, egentibus
Largas praebet opes, oreque turbido,
Quas fudere Potentes,
Ventosas removet preces.

Maerentem puerum suscipit Israel
Ulnis, nunc animi propitii memor,
Ut promiserat Abrae, et
Fido in secula germini.

HYMNUS I.
Divo Paterniano.

Dive sublimi decorate serto,
Thura cui sacris adolemus aris,
Prosper huc adsis, gregis atque fidi
Excipe voces.

Tu venenatas Stygii draconis
Submove fraudes, bone Pastor: und
Exhibe illimes, nec Ovile tabes
Morbida perdat.

Tu per anfractus dubios secundo
Lumine intersis, bone Dux, salutis
Edoce callem, trepidosque ad astra
Dirige gressus.

Te suum clamat columen, Patremque
Civitas omnis memor usque dextrae
Quae triumphatrix toties minantes
Dispulit hostes.

Hic quies regnet, pius hic et ardor;
Hic ames dici Pater, hic Patronus:
Atque Fanestres tibi provolutas
Protege gentes.

Debitas laudes Triadi supernae
Concinant imae superumque sedes
Prima et exultans hodie Metauri
Concinat hora.

HYMNUS II.

Beato Sebastiano Valfresio
In solemni ejusdem Beatificatione.

Clara Valfreji, Populi fideles,
Gesta festivo coelebrate cantu,
Quem coruscantem meritis recepit
Regia Coeli.

Hic Patris magni rutilis inhaerens
Fidus exemplis, pede trivit almum,
Quem Pater callem, meruitque celsam
Tangere metam.

Pectoris sensus tumidos, rebelles
Carnis et motus reprimens, superno
Conflagrans aestu, Nerii refulsit
Vivida imago.

Dive coelesti redimite honore,
Quem Padus tollit Tyberis coronat,
Corde cui laeto nova serta texunt
Orbis et aether;

Applica nostris precibus benignas,
Oh potens, aures: tibi cuncta Numen:
Pacis optatae, bone Dive, terras
Munere dona.

Nosque per tristes salebras ruentes
Providus fulci, Duce te, petamus
Ut Poli sedes, Domino canentes
Jugiter Himnos.

Laus sit excelsae Triadi per omne
Saeculum, cujus bonitate summis
Fulgidam proles Neriana frontem
Inserit astris.

HYMNUS III.

Divo Rocho, furente Anconae Cholera.

Dive, quem tabo cruciata foedo
Sensit in rebus miseris levamen,
Sensit optatae columen salutis
Itala tellus;

Dive, coelesti pietate flagrans,
Cui crucis signum medio refulgens
Pectori insculpsit Deus ipse plena
Matris in alvo;

Morte cui laeta properanti ad axem
Carcere in nigro rutilis ab astris
Angelus dexter stetit, et malignas
Dispulit umbras;

Excipe, oh mitis, trepidas querelas
Gentis afflictae: metus acer, horror
Arva Piceni quatit, ingravescit
Morbida tabes.

Tu potes tristes relevare gentes,
Tu luem nostris removere ab oris:
Hoc tuis privum meritis, favente
Numine, munus.

Laus sit excelsae Triadi, gementes
Quae plagas ultro miserata, Rocho
Tabidum pestis dedit ingruentis
Pellere virus.

HYMNUS IV.

Divo Josepho

Dive, quem pronus veneratur Orbis,
Dive, cui plaudunt Superae Phalanges,
Excipe, ob mitis, Populi fidelis
Excipe laudes.

Regiae Stirpis Soboles refulgens
Clarior summis meritis, pudicae
Virginis casta face digne, nostris
Annue votis.

Arbiter Coeli vigilem parentem
Te jubet nati : decus oh! coruscum
Corde tu fido refoves, alisque
Numen Olympi.

Primus exortam stabulo nigranti
Excipis Prolem, cecinere Vates
Quam Sacri Mundo misero, quae Averni
Vincula rupit.

Primus indutum fragili tu amictu
Cernis optatum, Pater Alme, Regem,
Primus augustis iterata figis
Oscula Plantis.

Cum ferus Princeps meditatur atram
Huic necem, cautus fugis, et remoti
Sospitem Nili per opaca noctis
Ducis ad oras.

Hunc pia cura dape pascis, Ille
Astra cui parent, Superumque Turmae
Ille, quem Tellus tremit, ille promptus
Jussa facessit.

Inclite, o Joseph, tibi laude cedunt
Cuncta; tu felix placidis in ulnis
Virginis Sanctae, Superique Nati
Lumina condis.

Nunc tibi laeto caput alma cingunt
Serta; tu cunctos superas nitore,
Te beat Numen, tibi fausta plaudit
Regia Coeli.

Oh tuis adsis famulis, precesque
Excipe, expertes sceleris nefandi
Viribus fractis Stygiis supernas
Ducito ad Aedes.

Parcite Lectores, quicumque obrepserit error,
Mens aegri auctoris noscere non potuit.

Fani 13 *Junii* 1841.
IMPRIMATUR
Vitus Rondina Vic. S. O.

Die dicto
VIDIT
Pro Illm̃o ac Rm̃o Episcopo Aloysio Carsidoni
M. Can. Parri.

prezzo baj. 30.